

FABVLA-

RVM, QVAE HOC LIBRO continentur, interpretes atq; autores sunt hi.

Guilelmus Goudanus.
Hadrianus Barlandus.
Erasmus Rotterodamus.
Aulus Gellius.
Laurentius Valla.
Angelus Politianus.
Petrus Crinitus.
Ioannes Antonius Campanus.
Plinius Secundus Nouocomensis.
Anianus Guilelmus Hermannus.
Nicolaus Gerbellius Phorcensis.
Laurentius Abstemius.
Remicius iam denuo additus.

Aesopi uita ex Maximo Planude excerpta, & aucta.



Herren vor seinen und hier
gesang Er tot wol und wont nicht
lang

Regia Crede mihi res est pro nitore
Ob[ser]ve fideus Rüstiatas opres
vor seinen ist Herrschs Halten
ist zu vil nichts

Ave porro mordius
Lorenz Lutze ein Jüristisch Hose
Sanct Jörg ein Halb Knecht
Sanct Jörg ein Halb Knecht ganz

ÆSOPI VI

TA BREVISSIME EX

Maximo Planude.







ESOPVS GENVS traxit ex Ammorio oppido Phrygiæ, cognomento magnæ, sed fortuna fuit seruus. Verum seruitus non potuit animum eius liberum corrumpere. Fuit autē non solum seruus, sed & deformosissimus omnium suæ ætatis hominum. Nam acuto capite fuit, pressis naribus, depresso collo, prominentibus labris, niger, unde & nomen adeptus, uentrosus, ualgus, & incuruus, & quod erat omnium pessimum, tardiloquentia cum obscura simul & inarticulata uoce, quæ omnia seruitutem ei parasse uideri possunt. Sed cum tali esset tamq; deformi corpore, animo tamen fuit natura solertissimo, fœlicissimoq; ad omne commentum. Homo igitur tam deformis ad fodiendum agrum ab hero suo emittitur, quo digressus, alacriter operi incumbebat. Cumq; eius domino ficus agri-

cola quidam dono dedisset, eas dominus seruo cuidam Agathopodi domum ferendas commisit. Qui Agathopus consilium iniit cum conseruo, ut ipsi ficus illatas devorarēt, causarenturq; postea Aesopum eas furto ablatas comedisse. Hero domum redeunte, accusatur Aesopus, parantur flagra, procumbit ad heri pedes miser, dilationem petit, qua impetrata, aquam calidam affert, cuius partem ebibit, reliquam propinat conseruis, Aesopus præter aquam nihil euomit, serui unà cum humore & ficus in terram eiiciunt. Nudi nebulones flagro misere conciduntur, Laudato mirificè ingenio Aesopi. Cum sacerdotes Dianæ conuenissent Aesopum, rogassentq; uiam ut illis monstraret, quæ in urbem ducebat. Is prius frugali cœna refocillatos, in uiam dux ipse ducit. Ob quam hospitalitatem sacerdotes precibus orant Dianam, ut ipsa gratiam referat homini tam benè de ipsis merito. Quo facto reuersus Aesopus, in somnum lapsus, uisus est fortunam astare sibi, soluentem eius linguam, atq; fabularum largientem doctrinam. Quare mirificè lætatus Aesopus expergiscitur, beneficium hoc in hospitalitatis obseruationem reiicit. Non enim amplius loquendo tardus erat, sed lingua soluta expeditè loquebatur. Quod cum Zenas quidam agri præfectus intellexisset, timens ne quando iniquitatis apud dominum ab Aesopo accusaretur, hominem præuenit, atq; grauissima accusatione in odium domini induxit, adeo, ut eidem

præfecto

præfecto ab hero Aesopus traderetur. Cũq; iam in po-
testate Zenæ foret Aesopus, conuenit Zenam mercator
quispiam rogans, num iumentum aliquod uelit diuende-
re. Respondit Zenas iumentorum se potestatem non ha-
bere, uerũ Aesopum monstrat, an hũc uelit, adesse qui-
dem. Quem cum uidisset mercator, unde hæc tibi olla,
inquit, an ne truncus est uel homo? Ni uoccm emitteret,
utrem inflatum arbitrarer, atq; indignatus abijt. Aeso-
pus ipsum sequens, mane inquit. Ille uero cõuersus, abi,
inq̃t, sordidissime canis. At Aesopus ait, eme me merca-
tor, non inutile tibi sum futurus mancipium. Nam si
tibi domi sunt mali pueri, & sine ocio flentes, his me
præfice pædagogum, omnino eis ero pro larua. Ridens
igitur mercator ad Zenam dicit. Quanti uas hoc malum
uendis? Ille tribus ait obulis. Mercator tres obulos ex-
ponens, nihil emi, (inquit) nihil exposui. Mercator ille
cum Ephesi reliqua uendidisset mancipia, tria remen-
serunt illi. Grammaticus, Cantor, & Aesopus. Quos cũ
ille nequiret diuendere, Samum petijt, atq; ibi expositis
his tribus, Grammatico & Cantore egregiè ornatis
Aesopo uero in medio sordidissimo stante, uenit Philo-
sophus Xanthus, atq; hos tres probè contuens, merca-
toris commentum miratus est, cur nam inter duos bel-
lissimos iuuenes tam sordidum statuisset homuncionem.
Xanthus igitur percontatur Cantorem cuias sit? Re-
spondit, Cappadox sum. Quid scires? Respondit omnia.
Quo dicto risit Aesopus. Quæsiuit & à Grammatico

Xanthus, cuias esset, dixit se Lydum esse. Quid facere sciret rogante Xantho, omnia inquit Grãmaticus, atq; iterum Aesopus rogat. Discedente Xantho, rogãt discipuli ut Aesopum emat, nam reliquos duos nimis magno precio æstimarat mercator. Veniens ad Aesopum Xanthus, rogat unde sit, nigrum se esse respondit. Ille uero non hoc uolebam ait, sed unde natus sis. Ait Aesopus, ex uentre matris meæ. Non hoc dico Xanthus inquit, sed in quo loco natus sis. Aesopus ait, matrem non renunciasse sibi, an in sublimi uel humili loco eum genuerit. Xanthus quid facere sciat percunctatur, et ille, nihil. Quomodo? dixit Xanthus. Quoniam hi duo se omnia nosse professi sunt, mihi uero nihil reliquerunt. Laudatus est multis modis Aesopus à scholasticis ob hoc responsum, quoniam nullus sit uspiam inter mortales cui cognita, exploratáq; sint omnia. Xanthus empturus Aesopum, dixit, Si emero te, an ne es fugiturus? Cui Aesopus respondit, hoc si facere uoluero, haud quaquã te utar consultore. Quæ cum maximè placuissent Xantho subintulit, sed deformis es. Atq; ille respondit, O philosophe, non faciem, sed mentem oportet inspicere. Xanthus soluto ab scholasticis precio, Aesopũ accepit. Inter deambulandum igitur cum sol esset ardentissimus, Xanthus meiebat nihilo minus iter peragens. Id animaduertens Aesopus, dixit se confestim fugiturũ, Xantho cur nam id facere uellet exquirente. Quoniam, inquit, si tu cum herus sis, naturæ non potes morem

gerere,

gerere, quid seruo mihi faciendum? Nam si ad ministerium aliquot mitterer, num inter uolandum cacare deberem? Post hæc accidit Xanthum dicere quodam amicos ad conuiuium inuitasse, quibus rem gratam facturus, Aesopo mandat ut lentem coquat, qua commodè parata & cocta. Xanthus eam iubet afferri. Aesopus iussa exequitur, Xanthus lente accepta probaturus an ne cocta foret satis, digitis eam attriuit, multas adhuc superesse putans, quas iubens Aesopum afferre, præter aquã is nihil asportauit. Xantho grauiter indignante, cur nõ lentes apponeret mensæ. Respondit se ueluti iussisset, nõ lentes, sed lentem coxisse. Referuntur sententiæ aliquot Aesopi elegantissimæ, hæ uidelicet, Deum ante omnia cole. Regem honora. Bene agentibus ne inuide. Linguæ continens esto. Mulieri nunquam credas secreta. Ne pudeat te semper discere meliora. Fac quæ te non mœstificent. Bonum esse non te pœniteat. Aesopus cum apud Samios ageret, libertate donatus est, missusq; Crœso regi, bellum cum Samijs agenti, id sua cum prudentia, tum urbanitate effecit, ut Samijs placatus rex conciliaretur. Samij multis honoribus redeuntem Aesopum excepe-
runt. Qui discedens ex insula, orbem peragrauit, cui maximã familiaritatem fuisse memorant cum Lycero rege, à quo statua aurea Aesopo iussa erigi. Deinde peragrata Græcia, Delphos peruenit, à quibus nullo affectus honore est, sed ab ipsis post multa salutaria præcepta, è rupe præceps deuolutus, mortuus est. Cu-

ius mors graui pestilentia ulta, iniusti occisi Aesopi indicium Delphis exhibuit.

EX PHILOSTRATI IMAGINIBVS.



FABVLAE se ad Aesopum, sua in eum beneuolentia conferunt, quod satagat sui. Fabula quippe & Homero & Hesiodo, nec non & Archilocho in Lycamben curæ fuit, sed ab Aesopo humana omnia ad fabellas redacta sunt, sermone brutis non temere impertito. Nam & cupiditatem tollit, & libidinem insectatur, & fraudem. Atq; hæc ei leo quispiam agit, & uulpes, & per Iouem, nec equus, nec testudo muta. Ex quibus pueri discunt, quæ in uita gerantur. Habentur igitur in precio fabulæ propter Aesopum. Accedunt ad ianuam docti huius, uittis eum deuincturæ, coronaq; oleagina coronaturæ. Hic, ut puto, fabulam aliquam texit, risus enim faciei, & oculi in terram defixi, id præ se ferunt. Pictorem fabularum curas remissiore animo indigere non latuit. Philosophatur autem & fabularum corpora. Bruta enim cum hominibus conferens, cœtum

tum circa Aesopum statuit, ex illius scena confictum. Chori dux uulpes depicta est, utitur enim ea Aesopus ministra argumentorum plurium, ce[n] Dauo comœdia.

MARTINVS DORPIVS IOANNI Leupe, Iacobo Papæ, & Ioanni Niniuitæ eruditissimis in Flandria Ludimagistris S.



QVIDEM IN EA ET *sum & fui semper sententia, uiri ornatissimi, quàm mutare nullus queam, Sed nec uelim ut impendio plus nutãtibus literis consultum putem ab eruditis aliquot nostra memoria uiris, q classicos autores castigare ædiderunt, quàm à quibusdam gloriolæ aucupibus (nam alios taceo) qui commentariorum latifundis omnia occuparunt. Ecquis enim non eo nomine Aldum Romanum suspicit, amat, prædicat? hæc mecum identidem reputans, ausus sum & ipse quiddam minus (penè dixerim) minimo, nempe fabellas Aesopicas rursus emittere, non carmine quidem illas subrusticè conscriptas, sed prosa oratione nimis quàm lepidè concinnatas, utpote à Guilelmo Goudano, tanto uiro, ut ab Erasmo meo literatorum quasi phœnice, serio sit*

laudatus. Eam opellam uobis ingenuosæ Flandorum iuuentutis præceptoribus nuncupatim dedico, eó utiq; spectans, ut scholastici uestri hoc Iuuigatorio omnem tenellarum linguarum stribiligmem prius abradant, quàm ad Lilium nostrum uetus atq; adeo primũ apud Louanienses politioris literaturæ domicilium profecti, philosophiæ mittientur. Adieci paucula ex Gellio, Politiano, Petro Crinito, sed selecta, quod si genio quopiam aspirante leuis hæc alea fœliciter ceciderit, plusculum aliquando audebo, & quædam meæ ipsius fœturæ, quæ interim parturio pariam dialogos, carmina, prologos in actiones Plautinas, complementum Aululariæ atq; id genus alia. Cur enim (quæso) non ausim? quo nam absterrear? auxilio uidelicet fretus Thesei quondam uestri, nunc & mei Nicolai Buscoducensis uiri (quod uel tacente me ipsi probe nostis) exquisitè docti, siue philosophicas familias requiratis, siue uenustioris dictionis lautitias, quin & amici candidi, synceri, humani, qui curam huius æditiunculæ in se omnem deriuauit. In reliquis idem (quæ est hominis uigilantia) lubens obiturus. Rideri interim ab istis amusis siniſtra Minerua natis, hoc uero mihi palmarium, quando sui similes, & omnes, & solos in cœlum ferre obstinauerint. Valete. Louanij, ex nominatissimo Lilianorum gymnasio, ad decem Kalendas Decembris.

Index

INDEX FABVLARVM OMNIVM quæ hoc libello continentur, secundum ordinem alphabeti.

A.

Abiete & dumo. 54
Accipitre columbam insequente. 87
Accipitribus inter se inimicis quos columbæ pa cauerant. 130
Adolescente & cato. 28
Adolescente ex coitu infirmo & lupo. 127
Adolescente in funere matris canente. 113
Adolescente quodam & hirundine. 184
Adolescentibus & coquo. 142. et 167
Aegroto & medico. 40. et 145. et 184
Agno & lupo. 28. et 171
Agricola & filijs. 165
Agricola & canibus. 83. et 140. et 165
Agricola & gruibus. 35.
Agricola & poêta. 119
Agricola & pelargo. 171
Agricola militiam & mercaturam affectante. 110
Agricola sæuiente in filios. 140
Alite & pullis eius. 55
Amne suum fontem conuitijs lacessente. 111
Anguilla conquerente quód magis quàm serpens infestaretur. 92

Anſere

Anſere. 59
Anſeribus. 43
Anu & ancilla. 41
Anu dæmonem accuſante. 99
Ape & Ioue. 183
Apro & aſino. 4
Apro & ruſtico. 58
Aquila & cornicula. 6
Aquila & coruo. 36. et 152
Aquila & homine. 159
Aquila & pica. 96
Aquila et ſcabrone. 152
Aquila et uulpe. 151
Aquila filios cuniculi rapiente. 122
Aranea et hirundine. 87
Aranea et podagra. 76
Arboribus pulchris et deformi. 90
Ariete cum tauro pugnante. 121
Arione et de phimo. 73
Artubus humanis & uentre. 85
Arũdine et olea. 142
Aſino. 41. & 48. & 65
Aſino ægrotante et lupis uiſitantibus. 114
Aſino et equo. 42. et 187
Aſino et Ioue. 185
Aſino et lupo. 146. et 187
Aſino et ſcurra. 110

Asino & uiatoribus. 64
Asino & uitulo. 88
Asino laborum finem non inueniente. 115
Asino qui hero ingrato seruierat. 116
Asino, simia, & talpa 92
Asino tubicine, & lepore tabellario. 129
Auaro & inuido. 55
Aucupe. 174
Aucupe & fringilla. 102
Aucupe & merula. 146
Aucupe & palumbo. 31
Aucupe & uipera. 143
Auibus. 40
Auibus & noctua. 70
Auibus & quadrupedibus. 20
Auibus plures reges eligere uolentibus. 112
Auibus scarabeos timentibus. 101
Auiculæ capitæ nido. 68
Auriga & rota currus stridente. 124

B.

Boue & iuuenco. 60
Buccinatore. 31

C.

Calamo & oliua. 168
Camelo. 49
Caluo crines externos gerente pro natiuis. 149

Cam=

Cancris matre & filio. 47
Cane ad cœnam uocato. 158
Cane carnes portante. 177
Cane & asino. 8
Cane & hero. 101
Cane & lanio. 27
Cane & lanione. 144
Cane & leone. 61
Cane & lupo. 176
Cane & oue. 28
Cane & umbra. 2
Cane inuido & boue. 36
Cane mordaci. 49
Cane oues domini sui occidente. 120
Cane uenatico. 13
Canibus urbanis uillaticum insequentibus. 99
Caponibus pinguibus & macro. 89
Carbonario & fullone. 30. & 136
Carbonario & lotore. 160
Carduele & puero. 104
Castore. 175
Castore uirilia sibi amputante. 144
Cato & gallo. 154
Cata in fœminam mutata. 163
Cera duritiem appetente. 109
Ceruo. 21
Ceruo & bobus. 23

Ceruo & leone. 170
Ceruo & lupo. 14
Cicada & formica. 60
Cochlea petente à Ioue, ut suam domum secum ferre posset. 117
Columba & miluus. 11
Columba & pica. 88
Coriario emẽte pellẽ ursi à uenatore nondũ capti. 107
Cornice & oue. 37
Cornice & urna. 56
Coruo ægrotante. 176
Coruo & lupis. 72
Coruo & uulpe. 175
Coruo & uulpecula. 6
Cuculo & accipitre. 88
Cucurbita ad pinum sata. 71
Culice cibum & hospitium ab ape petente. 129
Cygno in morte canente reprehenso à ciconia. 91

D.

Duite quodam & seruo. 98
Duabus ollis. 50
Duobus adolescentibus. 27
Duobus amicis & urso. 49. & 141
Duobus amicis & ursa. 167
Duobus gallis intra sese certantibus. 181
Duobus inimicis. 168

E.

Equite caluo. 50
Equo et asino. 19 et 138
Equo et ceruo. 26. & 84.
Equo et leone. 18
Equo inculto sed ueloci & cæteris eum irridentibus. 126
Erinacio uiperam hospitem eijciente. 118

F.

Fabro et cane. 172
Fele in fœminam mutata. 139
Filio cuiusdam senis et leone. 148
Formica. 39
Formica et cicada. 45. & 196
Formica et columba. 182
Fure & cane. 12

G.

Gallina et uulpe. 189
Gallis & perdice. 135. & 157
Gallo et cato. 35
Gallo gallinacco. 1
Gliribus quercum eruere uolentibus. 100
Graculo. 16

H.

Heremita & milite. 108
Heremita uirgine ægrotante. 97
Hero rustici malum ad se transferente. 38

Hirun-

¶ Hirundinibus. 10
¶ Hœdo & lupo. 14. & 41
Homine à cane morso. 166
Homine & ligneo Deo. 158
Homine quem canis momorderat. 141

I.

IOue. 195
Ioue & coruo. 172
Ioue & simia. 143
Iuuene senis curuitatem irridente. 95

L.

LEcna & uulpe. 180
Legato auaro tubicines decipiente. 94
Leone & asino & uulpe. 178
Leone cuiusdam rustici filiam amante. 179
Leone & alijs. 40
Leone & capella. 56
Leone & capra. 42
Leone & homine. 189
Leone & mure. 8. & 109
Leone & quibusdam alijs. 3
Leone & rana. 39. & 177
Leone & tauro. 46. & 178
Leone & uenatore. 56
Leone & uulpecula. 24
Leone porcum sibi socium eligente. 129
Leone sene. 177

Leone senectute confecto. 7
Lepore calliditatem et uulpe celeritatem à Ioue petentibus. 125
Lepore et testudine. 191
Lepore sese uulpi præferente ob pedũ uelocitatẽ. 118
Leporibus & ranis. 14. et 186.
Lignatore quodam. 184
Lupis et agnis. 22
Lupo et agno. 1. et 180
Lupo & cane. 32
Lupo & capite picto. 16
Lupo et grue. 3. & 180
Lupo & fucula. 12
Lupo et uulpe. 20
Lupo ouis pelle induto, qui gregem deuorabat. 119
Lupo piscẽ fluuij, maris regnum affectante. 123
Lupo suadente histrici ut tela deponeret. 117
Luscinia canrum accipitri pro uita pollicente. 128

M.

MEdico quodam 174
Membris & uentre. 22. et 73
Milite & equo. 103
Miluo ægroto. 9
Mula quadam. 173
Muliere amatoris discessum flente. 91
Muliere et gallina. 141. et 166. 187
Muliere & medico. 164

Muliere ignem in mariti domum ferente. 130
Muliere quæ pro uiro mori se uelle dicebat. 112
Muliere uirum morientem flente. 91
Mulo & equo. 106
Mure in cista nato. 86
Mure liberante miluum. 117
Mure qui cum fele amicitiam contrahere uolebat. 116
Mure urbano et rustico. 5
Muribus et cato. 169
Musca. 183. Muribus et ranis. 2
Musca & formica. 17
Musca quæ quadrigis insidens puluerem se excitasse dicebat. 92
Mustela senicula & muribus. 37

N.

NAutis sanctorum auxilium implorantibus. 93
Nuci, asino, & mulieri, prosunt uerbera. 114
Nutrice & lupo. 46

O.

OVe pastori conuitiante. 123
Opilione et agricolis. 36

P.

PArdo et uulpecula. 62
Partu montium. 12
Partu terræ. 73
Pastore artem nauticam exercente. 148
Pastore et mari. 193

Patre & filijs. 29
Patre filium ad uirtutes frustra hortante. 120
Pauone & grue. 52
Pauone & luscinia. 37
¶ Philomena & accipitre. 153
¶ Piscatore. 137
Piscatore & pisciculo. 45. & 54
Piscatore & ismaride pisciculo. 156
Piscatore quodam. 161
Piscatoribus quibusdam. 64. & 161. & 162
Piscibus. 61
Piscibus è sartagine in prunas desilientibus. 93
¶ Porco & equo. 106
¶ Prætore repetundarum damnato. 131
Puero & fortuna. 169
Puero & fure. 57
Puero & matre. 147
Puero & scorpione. 190
Puero oues pascente. 175
Puero quodam fure. 192
Pulice. 195
Pulice & homine. 196
Punica & malo, arboribus. 193

Q.

Quadrupedibus societatem aduersus aues cum piscibus ineuntibus. 94
Quercu & arundine. 44. et 52

Rana

Rana & boue. 18
Rana & uulpe. 48 & 188
Ranis & earum rege. 10
Ranis regem petentibus. 163
¶ Rege & similis. 63
¶ Rustico amnem transituro. 87
Rustico & angui. 15
Rustico & colubro. 4
Rustico & equo. 30
Rustico & fortuna. 51
Rustico & Hercule. 59
Rustico & iuuenco. 57
Rustico & mure. 96
Rustico impetrante ut triticum absq; aristis nasceretur 86
Rustico per uocem hœdi ad iurisconsultũ admisso. 126



S.

Sacerdote & pyris. 105
Salice & securi. 192
Satyro & rustico. 67
Satyro & uiatore. 53
Scarabeo & aquila. 65
¶ Scurra & episcopo. 104
¶ Sene iuuenem poma sibi surripientem lapidibus deiiciente. 127
Sene mortem differre uolente. 135

Sene mortem uocante. 164
Sene ob impotentiam libidinē carnis relinquente. 119
Sene puellam in uxorem accipiente. 95
Serpente & agricola. 188
Simia. 195
Simia & duobus eius natis. 60
Simia & eius prole. 52
Simia & uulpe. 170
Simia & uulpecula. 23
Simijs & pardale. 66
Sole & aquilone. 47
Sue & cane. 103
Sylua & ruſtico. 22

T.

TAlpa & matre. 194
Tauro & capro. 51
Tauro & mure. 58
Tauris & leone. 53
Teſtudine & aquila. 47
Teſtudine & ranis. 100
Tigride & uulpe. 53
Trabe boum pigritiam inerepante. 103
Trabe & bobus eam trahentibus. 90
Tubicine. 143. & 172
Turdo amicitiam cum hirundine ineunte. 96
Thyno & delphino. 144. et 173

V.

Vate quodam. 145. et 181
Venatore & perdice. 191
Vespis, perdicibus, & agricola. 194
Viatore 189
Viatore & pera inuenta. 147
Vidua & asino uiridi. 121
Vidua uirum petente. 98
Vipera & lima. 21
Viro agricola. 159
Viro amicos experiri uolente. 124
Viro Apollinem tentante. 137
Viro auaro sacculum nummorum alloquente. 132
Viro clysteria recusante. 114
Viro & Catyro. 138
Viro & uxore bigamis. 108
Viro & uxoribus. 197
Viro iactabundo. 136
Viro inope & infirmo. 161
Viro maligno & dæmone. 111
Viro Cardinali nuper creato gratulaturo. 94
Viro zelotypo qui uxorem dederat custodiendam. 113
Vitula & boue. 168
Vitulo & cerua. 182
Vlmo & silere. 109
Vpupa indigne honorata. 105
Vrso & apibus. 102
Vulpecula & ciconia. 15

Vulpecula & mustela. 25
Vulpecula & pardalis 62
Vulpe ad rem leporis cani laudante. 125
Vulpe & erinacio. 83
Vulpe & aquila. 34
Vulpe & fele. 63
Vulpe esuriente. 160
Vulpe & capite reperto. 136
Vulpe & capro. 134
Vulpe & crocodilo. 156
Vulpe & larua. 158
Vulpe & leone. 34 et 135 et 154
Vulpe & mulieribus gallinam edentibus. 89
Vulpe & pardo. 139. et 162
Vulpe & rubo. 156
Vulpe & trago. 153
Vulpe & uenatoribus. 157
Vulpe quadam. 190
Vulpe sine cauda. 155
Vulture aliisq; auibus. 43

DE GAL-

DE GALLO GALLINACEO.



Gallus gallinaceus, dum uertit ster corarium, offendit gemmam. Quid (inquiens) rem sic nitidam reperio? si gemmarius repersisset, nihil eo esset lætius, ut qui precium sciret. Mihi quidem nulli est usui, nec magni æstimo, imo equidem omnibus gemmis granum hordei malim.

MORALE.

☞ Per gemmam artem sapientiamq; intellige, per gallum hominem stolidam et uoluptuarium. Nec stolidi artes liberales amant, cum usum earum nesciant, nec uoluptuarius, quippe cui una placeat uoluptas.

DE LVPO ET AGNO.

Lupus ad caput fontis bibens, uidēs agnum procul infra bibentem. Accurrit, agnū increpitat, quód turbarit fontem. Trepidare agnus, supplicare, ut parcat innocenti, se, quando longè infra biberit, potum lupi ne potuisse quidem turbare, nedum uoluisse. Lupus contra intonat, nihil agis sacrilega, semper obes, Pater, mater, & omne tuū inuisum genus, sedulo mihi aduersatur. Tu mihi dabis hodie pœnas.

MORALE.

☞ Vetus dictum est, Vt canem cædas facilè inueniri

baculum. Potens, si libet nocere, facilè capit nocendi causam. Satis præcauit, qui resistere non potuit.

DE MVRIBVS ET RANIS.

BEllum gerebat mus cum rana, de paludis certabatur imperio. Pugna erat uehemens et anceps. Mus callidus sub herbis latitans, ex insidijs ranam adoritur, Rana uiribus melior, pectore & insultu ualens, aperto Marte hostem lacessit, hasta utriq; erat iuncea. Quo certamine procul uiso miluus, adproperat, dumq; præ studio pugnæ neuter sibi cauet, utrunq; bellatorem miluus rapit ac laniat.

MORALE.

☞ *Idem euenire solet factiosis ciuibus, qui accensi libidine dominandi, cum inter se certant fieri magistratus, opes suas, plerunq; etiam uitam in periculo ponunt.*

DE CANE ET VMBRA.

CAnis tranans fluuium, rictu uehebat carnẽ splendente sole. Ita ut fit, umbra carnis lucebat in aquis, quam ille uisam auidè captans, quod in faucibus erat perdidit. Ita tum rei tũ spei iactura perculsus, primum stupuit, deinde animum recipiens, sic ei latrauit, Miser, dcerat cupiditati tuæ modus, satis superq; erat, ni desipuisses, iam per tuam stultitiã miluus nihilo tibi est.

MORALE.

☞ *Monemur hac fabella modestiæ, monemur prudentiæ, ut et cupiditati sit modus, ne certa pro incertis amittamus*

tamus. Astute certè Terentianus ille Sannio, Ego, inquit, spem precio non emo.

DE LEONE ET QVIBVSDAM ALIIS.

CVm oue quibusdam; alijs pepigerat leo, uenationem fore communem, itur uenatum, capitur ceruus, partiuntur, singulas singulis partes tollere ut conuenerant incipiētibus, leo irrugijt, Vna, inquiēs pars mea est, quia sum dignissimus. Altera itē mea est, quia uiribus præstantissimus. Porro quia in capiūdo ceruo plus fuderim, uendico tertiam. Quartam deniq; partem ni concesseritis, actum est de amicitia. Socij hoc audito, discedunt uacui & taciti, non ausi mutire contra leonem. MORALE.

RAra fuit semper fides apud hoc seculum, rarior est apud potētes, et est, ut fuit semper rarissima. Quocirca satius est, ut uiuas cum pari. Qui enim cum potentiore uiuit, necesse habet sæpe de suo iure concedere, cum æquali æquale tibi ius erit.

DE LVPO ET GRVE.

LVpo uoranti ouem, forte ossa hæsere in gula, ambit, orat opem, opitulatur nemo, omnes dicitant tuluisse cum precio uoracitatis. Tandem blādicijs multis pluribusq; promissis gruē inducit, ut collo longissimo in gulam inserto, os infixū eximeret. Petenti autem præmium illusit, inepta, inquit, abi, non sat habes, quod uiuis, uitam debes mihi, si libuisset, licuit præ-

præmordere collum tuum. MORALE.

☞ Tritum est, Perire quod facis ingrato.

DE RVSTICO ET COLVBRO.

RVsticus repertum in niue colubrum frigore prope enectum, domum tulit, abiecit ad focum. Coluber ab igne uim uiresq; recipiens, deinde flammam non ferens, omne tugurium sibilando infecit. Accurrit rusticus, correpta fuste, uerbis uerberibusq; cum eo iniuriã expostulat. Num hanc referat gratiam? num uitam erepturus sit illi, qui uitam ipsi dederit.

MORALE.

☞ Fit interdum ut obsint tibi, quibus tu profueris, & malè de te mereantur ij, de quibus tu benè sis meritus.

DE APRO ET ASINO.

DVm iners asinus irrideret aprum, ille indignans frendebat. Malum quidem ignauissime fueras meritus, sed etiam si tu pœna fueras dignus, tamen ego indignus, qui à te pœnas summã. Irride tutus, impune tibi licet, tutus enim ob inertiã.

MORALE.

☞ Demus operam, ut cum indigna nobis audimus, aut patimur, ne indigna nobis dicamus aut faciamus. Mali enim & perditi plerunq; gaudent, si quispiam bonorum eis resistat. Magnipendunt haberi se dignos ultione. Imitemur equos & magnas bestias, qui oblatrantes caniculos cum contemptu prætereunt.

De

DE MVRE VRBANO ET MVRE RVSTICO.

Libitum est urbano muri deambulare rus. Vidit hunc mus rusticus, inuitat, apparatur, itur cœnatum. Depromit rusticus quicquid posuerat in hyemem et exhaurit omne pœnu, ut tanti hospitis explet lautitiam. Vrbanus tamen frontem corrugans, ruris damnat inopiam, urbis subinde laudat copiam, Remeans ducit secum in urbem rusticum, ut quæ uerbis iactarat, re comprobaret. Ineunt conuiuium, quod urbanus splendidè comparat. Inter epulandum auditur in scera murmur clauis, trepidare illi & fugitare fugitando. Rusticus & insuetus & loci ignarus, ægrè se tueri. Discedente famulo, redit urbanus ad mensam, uocat rusticum. Ille uix tandem metu depositio proripit. Inuitantem ad pocula urbanum, percunctatur num hoc periculum crebrum sit? Respondet ille quotidianum esse, oportere contẽti. Tum rusticus, quotidianum inquit? Me Hercule, istæ dapes plus fellis quàm mellis sapiunt. Equidem malo cum securitate meam inopiam, quàm cũ tali anxietate istam copiam. MORALE.

☞ Diuitiæ præ se ferunt quidem uoluptatem, sed si introspicias, habent pericula & amaritudinem. Eutrapeles quidam fuit, cum inimicis suis quàm maximè nocere uellet, diuites eos faciebat, dictitans ita se eos ulciscí, quippe accepturos cum diuitijs ingentem sarcinam curarum.

De

DE AQVILA ET CORNICVLA.

AQuila nacta cochleam, non ui aut arte quiuit eruere piscem. Accedens cornicula dat consilium, suadet subuolare, & è sublimis cochleam in saxa præcipitare, sic enim fore, ut cõcha frangatur. Humi manet cornicula, ut præstoletur casum, præcipitat aquila, frangitur testa, subripitur piscis à cornicula, dolet elusa aquila.

MORALE.

Noli quibusuis habere fidem, & consilium quod ab aliis acceperis, fac inspicias. Multi enim consulti, non suis consultoribus, sed sibi consulunt.

DE CORVO ET VVLPECVLA.

PRædam nactus strepitat in ramis coruus. Videt uulpecula gestientem, accurrit. Coruum, inquit, plurima salute impertit uulpes. Sæpenumero audieram famam esse mendacem, iam re ipsa experior. Nam ut hac forte iã prætereo, suspiciens te in arbore, aduolo culpans famam. Fama enim est, te nigriorem pice esse, & uideo candidiorem niue, Meo sanè iudicio, cygnos uincis, & hœdera formosior alba es. Quod si ut plumis, ita & uoce excellis, omnium auium equidem te dixerim reginã. Hac assentatiuncula illectus coruus, ad canendum apparat, apparanti uerò è rostro excidit caseus, quo correpto uulpecula, cacchinnum tollit. Tũ demum miserum coruum pudet pigetq; sui. Et iactura rei

mixta

mixta pudore dolet. MORALE.

☞ *Nonnulli sic auidi laudis sunt, ut cum suo probro & damno ament assentatorem. Eiusmodi homuntiones prædæ sunt parasitis. Quod si uitaueris iactantiam, facilè assentatorum pestiferum genus uitaueris. Si tu uoles esse Thraso, nusquam deerit Gnato.*

DE LEONE SENECTVTE CONFECTO.

LEo qui in iuuentute complures sua ferocitate fecerat inimicos, in senectute exoluit pœnas. Reddunt talionem bestiæ. Dente aper, cornu petit taurus. In primis asellus uetus ignauiæ nomen cupiens abolere, uerbis & calcibus strenuè insultat. Tum gemebundus leo. Hi quibus olim nocui, iam uicißim nocent, & merito. Sed hi quibus aliquando profui, iam uicißim non prosunt, immo etiam immerito obsunt. Stultus fui, qui multos fecerim inimicos, stultior, qui falsis amicis confisus fuerim. MORALE.

☞ *In secundis rebus non efferaris, non sis ferox. Nam si uultum mutarit fortuna, ulciscentur quos læsisti. Et inter amicos fac habeas discrimen. Sunt enim quidam amici, non tui, sed mensæ tuæ, sed fortunæ tuæ. Quæ quidem fortuna simul ac mutata erit, & illi mutabuntur. Et bene tecum actum erit, si non inimici fuerint. Merito quæritur Ouidius. En ego non paucis quondam munitus amicis, Dum flauit uelis aura secunda meis.*

Vt fera nymboso tumuerunt æquora uento.
In medio lacera naue relinquor aquis.

DE CANE ET ASINO.

DVm blandiretur canis hero et familiæ, herus & familia canem demulcent. Asellus id uidens, altius gemit, cœpit cum pigere suæ sortis, inique putat comparatum, canem gratum esse cunctis, pasci de mensa herili, idq; ocio ludoq; consequi. Sese contra portare clitellas, cædi flagello, nunquam ociosum esse, & cunctis tamen odiosum. Si hæc fiant blanditijs, eam artem, quæ tam utilis sit, statuit sectari. Igitur quodam tempore redeunti domũ hero, rem tentaturus, procurrit obuiam, subsilit, pulsat ungulis, exclamante hero accurrêre serui, et ineptus asellus, qui se urbanum credidit, fuste uapulat. MORALE.

☞ Non omnia possumus omnes (ut ait Virgilius in Bucolicis) Nec omnes omnia decent. Id quisq; uelit, id tentet, quod possit. Non simus id, quod græcè significantius dicitur ὄνου λύρας, id est, asinus lyrarum uel lyræ. Sic autem Boetius, Asinus ad lyram positus. Repugnante natura irritus labor. Tu nihil inuita dices faciesue Minerua, teste Horatio.

DE LEONE ET MVRE.

LEo æstu cursuq; defessus, sub umbra fronde super uiridi quiescebat. Murem autem grege tergum eius percurrente, experrectus, unum è multis cõpre-

comprehendit. Supplicat captiuus, indignum se esse cui leo irascatur, clamitat. Reputans ille nece tãtillæ bestiolæ nihil esse laudis, captiuum dimittit. Nec uero ita multo post, leo forte dum per saltũ currit, incidit in plagas, rugire licet, exire non licet, rugientem miserabiliter leonem mus audit, uocem agnoscit, repit in cuniculos, laqueorum quærit nodos, quæsitos inuenit, inuentos corrodit, leo è plagis euadit.

MORALE.

☞ Hæc fabula suadet potentibus clementiã. Etenim ut sunt res humanæ instabiles, egent interdum ipsi potentes ope humilimorum. Quare uir prudens, & si potest timebit uel ulli hominum nocere. Qui autem non timet nocere alteri, ualde desipit. Quid ita? Quia & si iam potentia fretus neminem metuis, forsan olim erit ut metuas. Constat enim euenisse claris magnisq; regibus, ut uilium hominum uel gratia indiguerint, uel iram metuerint.

DE MILVO AEGROTO.

LEcto decumbebat miluus, iam fermè moriens, matrem orat, precatum ire Deos. Mater respondet, nil opis illi sperandum à Dijs, quorum sacra & aras suis rapinis toties uiolasset. MORALE.

☞ Decet uenerari superos. Illi enim pios iuuant, impios auersantur. In fœlicitate neglecti, in miseria non exaudient. Quare in secundis rebus sis eorum memor,

ut in aduersis rebus præsentes sint uocati.

DE HIRVNDINIBVS.

CVm primum cœptum est seri linum, hirũdo suadet auiculis impedire sementem, dictit ãs sibi fieri insidias. Irrident illæ, stultam uatem hirundinẽ uocant. Surgente iam lino & uirescente, rursus monet euellere sata. Iterum irrident, matureſcit linũ, hortatur populari segetẽ, cum ne tunc quidem consulentẽ audirent, hirũdo auium cœtu relicto, hominis sibi cõciliat amicitiã, init cũ eo fœdus, cohabitat, cantu demulcet. Cæteris auibus è lino fiũt retia et laquei. MORALE. Multi nec ipsi cõsulere sibi norunt, nec rectè cõsulentem audiunt. Sed cum in periculis sunt & damnis, tum demum sapere incipiunt, & suam damnare socordiam. Tum sat superq; consilij est, hoc, inquiunt, & illud factum oportuit. Sed præstat esse Prometheũ, quàm Epimetheum. Fuêre hi fratres, nomina sunt græca, alteri consilium ante rem fuit, alteri post rem, quod declarat interpretatio nominum.

DE RANIS ET EARVM REGE.

GEns ranarum cum esset liberâ, Ioui supplicabat dari regem. Ridere Iuppiter uota ranarum, illæ tamen iterum atq; iterum instare, donec ipsum perpellerent. Deiecit ille trabem, ea moles ingenti fragore quassat fluuium. Territæ silent ranæ, regem uenerantur, accedunt pedetentim propius, tandem abiecto

metu

metu insultant & desultant, iners rex lusui est, & contemptui. Lacessunt rursum Iouem, orant regem dari qui strenuus sit. Dat Iuppiter ciconiam, is praestrenuè perambulans paludem, quicquid ranarum obuiam fit, uorat. De huius igitur saeuitia ranae frustra quaestae sunt, Iuppiter non audit. Nam & hodie adhuc quaeruntur, uesperi enim ciconia cubitum eunte, ex antris egressae, rauco ululatu murmurant, sed surdo canunt. Vult enim Iuppiter, ut quae regem clementem sint deprecatae, iam ferant inclementem. MORALE.

☞ Perinde atq; ranis euenire solet plebi, quae si regem paulo mansuetiorem habet, ignauum, inertem, esse causatur, optat aliquando contingere sibi uirum. Contra si quando nacta est regem strenuum, huius saeuitiam damnat, prioris laudat clementiam. siue quod semper praesentium nos poenitet, siue quod uerum est uerbum. Noua ueteribus non esse potiora.

DE COLVMBIS ET MILVIS.

COlumbae olim bellum gessere cum miluo, quem ut expugnarent, delegerunt regem accipitrem. Ille rex factus, hostem agit non regem, non segnius ac miluus rapit ac laniat. Poenitet columbas inceptì, satius fuisset putantes, pati bella milui, quàm tyrannidem accipitris.

MORALE.

☞ Neminẽ suae sortis nimium pigeat. Nihil est (teste

Flacco) *ab omni parte beatum. Equidem meam sortem modo tollerabil' sit, mutari nõ optem. Multi noua forte quæsita, ueterem rursum optarunt. Ita plerique ingenio sumus omnes, nosmet nostri pœnitet.*

DE FVRE ET CANE.

FVri aliquando panem (ut sileat) porrigenti, respondit canis, Insidias tuas noui, panem das, quo desinam latrare. Sed ego munus tuum odi, quippe si ego tulero panem, tu ex his tectis cuncta asportabis.

MORALE.

Caue parui commodi causa amittas magnum, caue cuiuis homini fidem habeas. Sunt enim qui dolo nõ tantum benignè dicunt, sed & benignè faciunt.

DE LVPO ET SVCVLA.

PArturiebat sucula, pollicetur lupus se custodem fore fœtus, Respondet puerpera, lupi obsequio se non egere. Si uelit pius haberi, si cupiat gratũ facere, longius abeat. Lupi enim officium constare non præsentia, sed absentia.

MORALE.

Non sunt cuncta credenda cunctis. Multi suam operam pollicentur, non tui amore, sed sui, suum quærentes commodum, non tuum.

DE PARTV MONTIVM.

OLim rumor erat parturire montes, homines accurrunt, circumsistunt, monstri quippiã non sine pauore expectantes. Pariũt tandem montes,

exit

exit mus. Tum omnes risu emori.

MORALE.

☞ Hanc fabellam tangit Horatius. Parturiunt montes (inquit) nascetur ridiculus mus. Notat autem iactantiam. Iactabundi enim cum magna profitentur & ostentant, uix parua faciunt. Quapropter Thrasones illi iure sunt materia ioci, & scommatum. Vetat enim hæc fabella inanes timores. Plerunq; enim grauior periculo est periculi metus, imo ridiculum est quod metuimus.

DE CANE VENATICO

CAnem uenaticum, qui iam senuerat, instigat herus, frustra hortatur, tardi sunt pedes, non properat, præhenderat feram, fera edentulo elabitur. Increpat herus uerbere, & uerbo. Canis respondit, debere sibi iure ignosci, iam senuisse, at iuuenem fuisse strenuum. Sed ut uideo, inquit, nil placet sine fructu, Iuuenē amasti, senem odisti. Amasti prædabundum, odisti tardum edentulum. Sed si gratus esses quem olim iuuenem frugis causa dilexisti, senem fructuosæ iuuentutis gratia diligeres.

MORALE.

☞ Rectè canis. Nā teste Nasone, Nil nisi quod prodest charū est, en detrahe menti. Spem fructus auidæ, nemo petendus erit. Præteriti commodi nulla est memoria, futuri autē gratia non magna, præsentis commodi summa.

Turpe quidem dictu, sed si modo uera fatemur,
Vulgus amicitias utilitate probat.

DE LEPORIBVS ET RANIS.

SYlua insoluto mugiēte turbine, trepidi lepores rapide occipiunt fugere. Fugientes, cum obsisteret palus, stetere anxij, utrinq; cōprehenst periculis, quoq; maioris esset incitamentum timoris, uident in palude mergi ranas. Tum ex leporibus unus prudentior cæteris, ac disertior. Quid, inquit, inaniter timemus? animo opus est. Corporum quidē agilitas nobis est, sed animus deest, hoc periculum turbinis non fugiendum est, sed est contemnendum.

MORALE.

☞ Omni in re opus est animo, Iacet uirtus sine confidentia. Confidentia enim dux & regina uirtutis est.

DE HOEDO ET LVPO.

CApra eum esset pastum itura, hœdum domi concludit, monens aperire nemini, dum redeat ipsa. Lupus qui id procul audierat, post matris discessum pulsat fores, uoce capripsat, iubens recludi. Hœdus dolos præsentiēs, non aperio, inquit, Nam & si uox capripsat, tamen equidem per rimulas lupum uideo.

MORALE.

☞ Obaudire parenti filios ipsis est utile, & iuuenem seni decet auscultare.

DE CERVO ET LVPO.

CErnuus coram lupo ouem ream facit, modium tritici debere clamitans. Quis debiti quidē erat inscia,

scia, tamen ob lupi præsentiam spondet se daturum. Dicitur solutioni dies, dies adest, monet cervus ouem. Illa it inficias. Quod enim promiserat, excusat factum id metu & præsentia lupi. Vorum extortum non esse seruandum.

MORALE.

☞ Sententia iuris est. Vim ui repellere licet. Ex hac fabella noua quædam nascitur. Fraudem fraude refellere licet.

DE RVSTICO ET ANGVI.

RVsticus quidã nutrierat anguẽ. Iratus aliquando bestiam petit securi, euadit illa non sine uulnere. Postea rusticus deueniens ad paupertatem, ratus est, id infortunij propter anguis iniuriam sibi accidere, igitur supplicat angui ut redeat. Ille ait ignoscere se, sed redire nolle. Neq; enim fore securum, cum rustico tanta sit domi securis, liuorem uulneris desisse, superesse tamen memoriam.

MORALE.

☞ Ei qui semel fidem soluit, iterum habere fidem, uix est tutum. Iniuriam quidem donare, id sanè misericordiæ est, cauere autem sibi & decet & prudentiæ est.

DE VVLPECVLA ET CICONIA.

VVlpecula uocauerat ciconiam ad cœnam. Obsoniũ in mensam effundit, quod cum liquidum esset, ciconia frustra rostro tentante, uulpecula lingit. Abit cluſa auis, pudetq; pigetq; iniuriæ. Post

plusculum dierũ redit, inuitat uulpeculã. Vitreũ uas situm erat plenũ cibi obsonij. Quod quidem uas cũ esset arcti gutturis, uulpeculæ obsonũ licuit uidere & esurire, gustare non licuit ciconia rostro facilè exhausit.

MORALE.

Risus risum, iocus iocum, dolus dolum, fraus meretur fraudem.

DE LVPO ET CAPITE PICTO.

Lvpus in officina sculptoris caput humanum repertum uersat, miratur, sentiens (id quod erat) nihil habere sensus. O pulchrũ, inquit, caput, est in te artis multum, sed sensus nihil.

MORALE.

Externa pulchritudo, si adsit, grata est, si alterutra carendũ est, præstat externa quàm interna carere. Illa enim sine hac interdum incurrit odium, ut stolidus sit eo odiosior, quo formosior.

DE GRACVLO.

Graculus ornauit se plumis Pauonis, deinde pulchellus sibi uisus, fastidito genere suo, contulit se ad pauonũ genus. Illi tandem intellecta fraude stolidam auem coloribus nudarunt, & plagis affecerũt. Horatius hanc fabellam primo Epistolarum lib. narrat de cornicula. Ait eam olim adornatam collectis, quæ auibus exciderant, plumis, post ubi unaquæq; auium suam plumam decerpsit, ridiculam fuisse.

Ne si

Ne si forte repetitum uenerit olim
Grex auium plumas, moueat cornicula risum,
Furtiuis nudata coloribus. MORALE.

☞Notat hæc fabula eos qui se gerunt æquo sublimius, qui cum his uiuunt, qui & ditiores sunt & magis nobiles. Quare sæpe inopes fiunt, & sunt ludibrio. Probè Iuuenalis monet. E cœlo descendit γνῶθι σεαυτὸν, hoc est, nosce teipsum.

DE MVSCA ET FORMICA.

MVsca altercabatur cum formica, se nobilem, illam ignobilem, se uolitare, illam repere, se uersari in tectis regum, illam cauernis latere, segetem rodere, aquam bibere, se splendide epulari iactitabat, & hæc tamen ocio nanciscì. E regione formica se non ignobilem esse, sed suis natalibus cõtentam, muscam uagam esse, se stabilem, sapere formicæ grana & fluenta, quod muscæ pastilli & uina. Atq; hæc se non segni ocio at strenua opera nanciscì. Porro formicam lætam esse & tutam, charam omnibus, exemplar denicq; laboris, muscam anxiam cum periculo esse, cunctis infestam, cunctis inuisam, exemplar denicq; segniciei. Formicam hyemis memorem, alimenta reponere, muscam in diem uiuere, hyeme aut esurituram, aut certè morituram.

MORALE.

☞Qui pergit quæ uult dicere, quæ non uult audiet. Musca si bene dixisset, bene audisset. Assentior autem

WBP Opole

formicæ. Videtur enim optabilior uita obscura cũ secu ritate, quàm cum periculo splendida.

DE RANA ET BOVE.

RAna cupida æquandi bouem, se distentabat. Filius hortabatur matrem cœpto desistere. Nihil enim esse ranã ad bouem. Illa secundum intumuit, clamitat natus. Crepes licet mater, bouem nunquam uinces. Tertium autem cum intumuisset, crepuit.

MORALE.

☞ Cuiq; sua dos est, hic forma, ille uiribus, hic opibus, ille pollet amicis. Vnumquemq; suo decet esse contentũ, ualet ille corpore, tu ingenio. Quocirca quisq; semet consulat, nec inuideat superiori, quod miserum est, nec (quod stultitiæ est) certare optes.

DE EQVO ET LEONE.

VEnit ad equum comedendum leo, Carens autem præ senecta uiribus, meditari cœpit artem, medicum se profitetur, uerborum ambage equum moratur. Hic dolo dolum, artem opponit arti. Fingit se nuper in loco spinoso pupugisse pedem, orat ut mspiciens sentẽ medicus educat. Paret leo, at equus quanta potuit ui, calcem leoni impingit, & se cõtinuo conijcit in pedes. Leo uix tandẽ ad se rediens, ictu enim prope exanimatus fuerat, præcium, inquit, fero ob stultitiam & is iure effugit. Dolum enim dolo ultus est.

MORALE.

Odio

Odio digna est simulatio, & simulatione capienda. Non est timendus hostis, qui hostem præ se fert, sed qui cum hostis sit, beneuolentiam simulat, is demum timendus & odio dignissimus.

DE EQVO ET ASINO.

Equus phaleris sellaq; exornatus, cũ ingenti hinnitu per uiam currebat. Currenti autem onustus asellus forte obstabat. Equus ira fremebundus & frena ferox spumãtia mandens. Quid, inquit, tarde, ignaue, obsistis equo? Cede inquam, aut proculco te pedibus. Asellus contra rudere non ausus, cedit tacitus. Equo autem prouolanti & cursum intendenti, crepat inguen. Tũ cursui & ostentui inutilis, ornamentis spoliatur, dein carrario uenditur. Videt postea cum carro uenientem asellus & affatur. Heus bone uir, quid isthuc ornati est? ubi aurata sella, bullata cingula? ubi nitidũ frenum? sic amice necesse est euenire superbienti.

MORALE.

Plerique in rebus secundis elati sunt, nec sui memores nec modestiæ. Sed quia prosperitate insolescunt, aduersitatem incurrunt. Eos qui fœlices uidentur, monuerim esse cautos. Etenim si rota fortunæ circumacta fuerit, sentient miserrimum genus infortunij esse, fuisse fœlicem. Accedit ad cumulum infœlicitatis id quoq; mali, Contemnentur ab ijs, quos ipsi contẽpsere, & illudent eis ij, quos ipsi risere.

DE

DE AVIBVS & quadrupedibus.

Avibus pugna erat cum quadrupedibus. Vtrinq; spes, utrinq; metus, utrinq; erat periculum. Vespertilio autem relictis socijs deficit ad hostes. Vincunt aues duce & auspice aquila. Transfugam uero uespertilionem damnant, uti ne ad aues unquam illi sit reditio, uti ne luce unquam sit uolatus. Hæc causa uespertiloni est, ut non nisi noctu uolet. MORALE.

☞ Qui cum socijs aduersitatis & periculi particeps esse renuit, prosperitatis & salutis expers erit.

DE LVPO ET VVLPE.

Lvpus cum prædæ satis esset, in otio degebat. Accedit uulpecula, sciscitatur ocij causam. Sensit lupus insidias fieri suis epulis, simulat morbum esse causam, orat uulpeculam, deprecatũ iri Deos. Illa dolens dolum non succedere, adit pastorem, monet petere latebras lupi, hostem enim securum posse inopinato opprimi. Adoritur pastor lupum, mactat. Illa potitur antro & præda. Sed fuit illi breue scelcris sui gaudium, Nam non ita multo post, idem pastor & ipsam capit.

MORALE.

☞ Fœda res inuidia est, & ipsi interdũ autori quoq; perniciosa. Flaccus epistolarum primo.

Inuidus alterius marcescit rebus opimis,
Inuidia Siculi non inuenere tyranni
Maius tormentum.

De

DE CERVO.

CErvus in perspicuo fonte se conspicatus, probat procera frontis & ramosa cornua, sed tybiarum exilitatem damnat. Forte dum cõtemplatur, dum iudicat, interuenit uenator. Fugit cervus ocyor pilis, in agente nymbos ocyor Euro. Insectantur fugientem canes. Sed cum intrasset condensam syluam, implicita sunt ramis cornua. Tum demũ tybias laudabat, & cornua damnabat, quæ fecêre, ut præda esset canibus.

MORALE.

Fugienda petimus, petenda fugimus. Placent quæ officiunt, quæ conferunt displicẽt. Beatitudinẽ cupimus priusquam ubi sit intelligamus. Opum excellentiam & bonorum celsitudinem quærimus, in his beatitudinem sitam opinamur, in quibus tamen multum laboris est et doloris. Pulchrè id significat Lyricus ille noster, Sæpius uentis agitatur ingens Pinus, & celsæ grauiore casu Decidunt turres, feriuntq; summos Fulgura montes.

DE VIPERA ET LIMA.

IN fabrica offendens limam uipera, cœpit rodere. Subrisit lima, quid, inquiens, inepta quid agis? tu tibi ante contriueris dentes, quàm me atteras, quæ duritiem æris præmordere soleo.

MORALE.

Etiam atq; etiã uide, qui cum tibi res sit. Si in fortiorem dentes acuis, non illi sed tibi nocueris.

De

DE LVPIS ET AGNIS.

LVpis & agnis quibus natura discordia est, fœdus aliquando fuit, datis utrinq; obsidibus, lupi suos catulos, oues canum cohortem dedêre. Quietis ouibus ac pascentibus, lupuli matrum desiderio ululatus ædunt. Tum lupi irruentes, fidem fœdusq; solutum clamitant, ouesq; canum præsidio destitutas, laniant.

MORALE.

☞ Insciti a est, si in fœdere tua præsidia hosti tradas, Nam qui hostis fuit, hostis forsan nondum esse desijt. Fortassis & causam cœperit, cur te nudatum præsidijs adoriatur.

DE SYLVA ET RVSTICO.

QVo tempore etiam arboribus suus sermo erat, uenit rusticus in syluam, rogans ut ad securim suam tollere liceat capulum, annuit sylua. Rusticus aptata securi, cœpit arbores succidere. Tum & quidem sero pœnituit syluam suæ facilitatis. Doluit se ipsam esse causam sui exitij.

MORALE.

☞ De quo bene mereris uide. Multi fuêre, qui accepto beneficio, in autoris abusi sunt perniciem.

DE MEMBRIS ET VENTRE.

PEs & manus uentrem olim incusarunt, quod ab otioso eo lucra ipsorum uorarentur. Iubent, ut laboret, aut ali ne petat. Supplicat ille semel, et iterum,

tum, negant tamen manus alimentum. Exhausto inedia uentre ubi cœpêre omnes artus deficere, tum manus uoluit tandē officiosa esse, uerū id sero. Nā uenter desuetudine debilis, cibū repulit. Ita cūcti artus dū uentri inuident, cū uentre pereūte pereunt. MORALE.

☞ Perinde atq; in membrorū societate est, ita habet se societas humana. Membrum eget membro, amicus eget amico. Quare mutuis operibus, & mutuis officijs, utendū est. Neq; diuitiæ, neq; dignitatū apices hominē satis tuentur. Vnicū & summum præsidium complurium amicitia est.

DE SIMIA ET VVLPECVLA.

SImia uulpeculam orat, ut partem caudæ sibi donet ad tegendas nates. Illi enim esse oneri, quod sibi foret usui & honori. Respondet illa nihil nimis esse, & se malle humū cauda sua uerri, q̄ simiæ nates tegi.

MORALE.

☞ Sunt qui egeant, sunt quibus superest. Nulli tamen diuitum id moris est, ut re superflua beet egenos.

DE CERVO ET BOBVS.

CErnuus uenatorem fugiens, coniecit se in stabulū, boues orat, ut in præsepe latitare liceat. Boues tutum esse negant, mox enim & dominū & famulum affuturos, Ille securum se esse ait, modo ne ipsi prodant. Intrat famulus, occultum fœno non uidet, exit. Gestire cernus & nihil iam timere. Tum unus

è bobus

è bobus, & æuo & consilio grauis. Facilè, inquit, erat hunc, qui talpa est fallere, sed ut herum, qui Argus est, lateas, hoc opus, hic labor est. Mox deinde introgreditur herus, qui, ut serui negligentiam corrigat, cuncta lustrans oculis, et præsepe manu tentãs, cerui deprehendit sub fœno cornua, inclamat famulos, accurrunt, feram occludunt, capiunt.

MORALE.

In aduersis rebus & periculis latebræ difficiles sunt inuentu, aut qua miseros, ut cœpit, fortuna exagitat, aut quia ipsi metu impediti, & inopes consilij semet imprudentia produnt.

DE LEONE ET VVLPECVLA.

LEo ægrotabat, uisebantq; animalia, una officium differente uulpecula. Ad hanc legatum mittit leo cum epistola, quæ uenire admoneat. Gratissimam rem ægroto fore eius unius præsentiam. Nec quicquam periculi fore cum uulpecula metuat. Leonem enim primum quidem amicissimum esse uulpeculæ, ideoq; percupere eius colloquium. Deinde ægrotum esse & decumbere, ut etiam si id, quod non erat uelit, nocere tamen non queat. Rescribit uulpecula, optare se ut leo conualescat, idq; oraturam superos. Cæterum minimè uisurã terrere enim se uestigijs. Quæ quidem uestigia, cum omnia sint antro leonis aduersa, & nulla auersa, eam rem indicium esse, multum quidem animalium introisse, sed ex

sed exisse nullum. Horatius.

Olim quod vulpes ægroto cauta leoni
Respondit, referam, quia me vestigia terrent
Omnia te aduersum spectantia, nulla retrorsum.

MORALE.

☞ Cauc fidem habeas verbis, ni caueris, sæpe tibi dabuntur verba. Capienda est coniectura, cum ex verbis tum ex factis, & ex his illa sunt iudicanda.

DE VVLPECVLA ET MVSTELA.

VVlpecula longa inedia tenuis, fortè per angustiorem rimam in cameram frumenti repsit. In qua cum probè pasta fuit, dein rursus tentantem egredi, distentus impedijt uenter. Mustela luctantem procul contemplata, tandem monet si exire cupiat, ad cauum macra redeat, quo macra intrarat.

MORALE.

☞ Videas cõplures in mediocritate lætos esse atq; alacres, uacuos curis, expertes animi molestijs. Sin hi diuites facti fuerint, uidebis eos mœstos incedere, nunquã frontem exporrigere, plenos curis, animi molestijs obrutos. Hanc fabellam sic Horatius canit.

Forte per angustam tenuis vulpecula rimam
Repserat in cameram frumenti, pastaq; rursus
Ire foras pleno tendebat corpore frustra.
Cui mustela procul, si vis (ait) effugere istinc,
Macra cauum repetas arctum, quæ macra subisti.

DE EQVO ET CERVO.

EQuus gerebat bellum cum ceruo. Pulsus tandem è pascuis implorabat opem humanam. Redit cum homine, descendit in campum, victus antea iam fit victor. Sed tamen hoste victo & sub iugum misso, ipse victor necesse est seruiat homini. Equitem fert dorso, & frenum ore.

MORALE.

☞ Dimicant multi contra paupertatẽ. Qua per fortunam & industriam victa, sæpe victoris interit libertas. Domini quidem & victores paupertatis seruire incipiunt diuitijs, aguntur auaritiæ flagris, parsimoniæ cohibentur frenis, nec quærendi tenent modum, nec iusto quidem auaritiæ supplicio, partis rebus audent uti.

Horatius de hac fabella.

Ceruus equum pugna melior, communibus herbis
Pellebat, donec minor in certamine longo
Imploranit opes hominis, frenumq; recepit.
Sed postquam uiolens victor discessit ab hoste,
Non equitem dorso, non frenum reppulit ore.
Sic qui pauperiem ueritus, potiore metallis
Libertate caret, dominum uehet improbus, atq;
Seruiet æternum, qui paruo nescit uti.

Aesopi

ÆSOPI

FABVLAE HADRIANO Barlando interprete.

DE DVOBVS ADOLESCENTIBVS.

ADolescentes duo obsonium apud cocum sese empturos si mulant. Coco alias res agente carnem alter è canistro surripuit, dat socio ut sibi ueste occultet. Cocus surreptam sibi carnis partem ut uidit, furti utrumq; cœpit insimulare. Qui abstulerat per Iouem nihil habere, is uero qui habuit, nihil abstulisse identidem deierat. Ad quos, me quidem, inquit cocus, fur nunc latet, sed is inspexit, is scit, quē iurastis.

MORALE.

Si quid peccauimus, id statim non sciunt homines, at Deus omnia uidet, qui sedet super cœlos & intuetur abyssos. Quod si cogitent homines, suppreßius prudentiusq; peccabitur.

DE CANE ET LANIO.

CAnis in macello cum lanio carnem abstulisset, impedes sese continuo quantum potuit coniecit. Lanius iactura rei perculsus, primum tacuit, de-

inde animũ recipiens, sic procul acclamitauit. O furacissime curre tutus, impune tibi licet, tutus enim es nunc ob celeritatem, posthac autem cautius mihi obseruaberis.

MORALE.

☞ *Hæc fabula significat plerosq; omnes tum demum fieri cautiores, ubi damnum acceperint.*

DE CANE ET OVE.

CAnis ouem in ius uocat, panem ex mutuo debere clamitans. Illa it inficias. Miluus, lupus, uultur, accersuntur, rem affirmant, damnatur ouis, damnatam canis rapit ac deglubit.

MORALE.

☞ *Falsis testimonijs opprimi quàm plurimos, cum nemo nescit, tum hæc quàm optime docet fabellula.*

DE AGNO ET LVPO.

AGno comitanti caprum, lupus fit obuiam, rogitat cur relicta matre olidum potius sequatur hircum, suadetq; ut ad distenta lacte matris ubera redeat, sperans ita fore abductum ut laniet. Ille uero, mater me ô lupe, inquit, huic comisit, huic summa cura seruandi data est. Parenti potius quàm tibi obsequendum, qui me seducere istis dictis postulas, seductũ mox percerpere.

MORALE.

☞ *Noli omnibus fidem habere, multi enim dum alijs uidentur uelle prodesse, sibi interim consulunt.*

DE ADOLESCENTE ET CATO.

Cum

CVm adolescens quidam in deliciis amoribusq; usur passet catum, Venerem precibus fatigauit, ut catum in fœminam transfiguraret. Commisere scit & audit orantem Venus, fit metamorphosis, quæ adolescenti misere amanti perplacuit, nempe tota succi plenula, tota candidula, tota elegantula. Itur deinde in cubiculũ, ridetur, luditur. Nec uero multo post percupiẽs experiri Dea nũquid catus cũ corpore mutasset et mores, per impluuiũ immittit musculũ, ibi risu prorsus atq; ludo res digna accidit. Cõspectã illico bestiolam insequitur muliercula, Venus indignans fœminæ ultũ iterum in in catum.

Cum pedibusq; manus, cum paruis brachia mutat
Cruribus, in cauda est mutatis addita membris.

MORALE.

Cœlũ non animum mutant, qui trans mare currunt. Nimisq; difficile est assueta relinquere. Naturam expellas furca, tamen usq; recurret, inquit Horatius.

DE PATRE ET FILIIS.

COmplures habebat agricola filios adolescentulos inter se discordes, quos pater elaborans trahere ad mutuum amorem, appositio fasciculo, iubet singulos breui circumdatũ funiculo effringere, imbecilla nequicquam conatur ætatula. Soluit parens, redditq; singulis uirgulam, quàm cum pro suis quisq; uiriculis facilè frangeret, O, inquit, filioli, sic concordes

uos uincere poterit nemo, sed si mutuis uolueritis sæuire uulneribus, atq; intestinũ agitare bellum, eritis tandem præda hostibus. MORALE.

☞ Docet hic apologus, cõcordia paruas res crescere, discordia magnas dilabi.

DE RVSTICO ET EQVO.

RVsticus equum uacuũ, asinumq; farcinulis egregie onustum, producit ad uiam. Defessus asellus, equum sibi onera ut adiutet orat, si saluum uelit. Negat facturum equus. Asellus tandem farcinæ ponderegrauatus, procumbit, moritur. Herus omne onus, mortui quoq; aselli corium in equi dorsum reclinat, quibus cum ille deprimeretur, me miserum, inquit, merito meo sic nunc exerceor, qui dudũ laboranti asino opitulari nolui. MORALE.

☞ Monemur hac fabula, ut oppressis subueniamus amicis, ortus nostri (inquit Plato) partem sibi patria uẽdicat, partem amici.

DE CARBONARIO ET FVLLONE.

FVllonem inuitabat carbonarius, ut secum in unis ædibus habitaret. Fullo non est inquit, mi homo isthuc mihi uel cordi uel utile, uereor enim magnopere, ne quæ ego eluã, tu reddas tã atra q̃ carbo est.

MORALE.

☞ Monemur hoc apologo cum inculpatis ambulare, monemur sceleratorum hominum consortia, ucluti pestem

stem quandam deuitare. Trahunt, inquit Campanus, hominem sodalitia commertia, etiam in mores penetrant, & perinde quisq; euadit, ut quibus cum uersatur.

DE AVCVPE ET PALVMBO.

IT uenatum auceps, uidit nidulantem procul in altissima arbore palumbum, adproperat, dumq; insidias molitur, prenit forte calcibus anguem, hic momordit, ille improuiso exanimatus malo, Me miserū, inquit, dum alteri insidior, ipse dispereo. MORALE.

☞ Significat hæc fabula, nonnunquam eos suis artibus circumueniri, qui res nouas moliuntur.

DE BVCCINATORE.

BVccinator quidã ab hostibus capitur, abducitur, trepidare ille, supplicare, ut parcant innoxio. Se quando nihil unquam armorum præter unam buccinam gestauerit, hominem nõ potuisse quidem occidere, nedum uoluisse. Illi contra murmure tum sæuo, tum uerberibus intonant, nihil agis sceleris, maximè noces, atq; hic nunc trucidabere, quod cum ipse, ut fateris, sis rei militaris imperitus, cornu isthoc tuo, aliorum excitas euibrasq; animos.

MORALE.

☞ Grauissimè peccant nõnulli, qui ad mala, quicq; satis pronis principibus, ut iniquè agant, consulunt, atq; huiusmodi quædam ad illorum aures occinunt. Quid etiam dubitas? An te principem esse oblitus es? An non tibi

quod lubeat licet? Tu legibus maior, in te legirupæ nomen cadere haud potest, qui ipsis etiam dominaris legibus, tui nihil possident, quod tuum non sit, tu potes & seruare & perdere, tibi fas est opibus dignitateq; augere quem uisum sit. Fas est ubi libuerit adimere, alios alia uel damnant uel commendant, tibi nihil non honestißimum futurum.

DE LVPO ET CANE.

LVpus cani ante lucem in sylua forte fortuna fit obuiam, salutat, aduentum gratulatur, deniq; rogat, quo pacto tam sit nitidus. Cui ille, herilis cura hoc efficit, herus me blandientem sibi demulcet, de mensa pascor herili nitidißima, nunquam sub dio dormito, tum uniuersæ familiæ, non dici potest, q̃ sim gratus. Næ tu (inquit lupus) multo es fœlicißimus ô canis, cui tam benignus & comis contigit herus, quo cum ô utinam commorari & mihi liceat, nullum me animantium esset usquam fortunatius. Canis noui status cupidissimum uidens lupum, effecturum se pollicetur, ut hæreat in parte aliqua apud herum, modo de pristina ferocia aliquid remittere, & seruitutem seruire uelit. Stat sententia. Lupo libitum est deambulare ad uillam, sermones ædunt in itinere prorsus iucundißimos. Postea uero quàm illuxit, contritum canis collum uidens lupus. Quid sibi uult, inquit, ô canis tua istæc prorsus depilata ceruix? Solebam, inquit ille, feroculus, notis pariter

&

& ignotis allatrare, obmordereq; nonnunquam, id ægrè ferens herus, crebris me tundebat uerberibus, prohibens ètiam ne quem præter furem lupumq; adorirer, ego sic uapulando uictus sum, & mitior factus, hocq; genialis seruitiæ seruaui signum. Lupus hoc audito, ego inquit, heri tui amicitiam tanti non emo. Vale igitur ô canis, cum tuâ istæc seruitute, mihi mea potior est libertas.

MORALE.

☞ Optabilius est in humili casa dominum esse, & panem atrum uorare, quàm in amplissima regia opiparis mensis frui, & obnoxiũ trepidumq; agere. Nam libertas sublimi exulat aula, ubi accipienda uenit & mussitanda iniuria est.

DE AGRICOLA ET CANIBVS.

AGricola cum ruri plusculos hyemasset dies, cœpit tandem necessariarum rerum penuria laborare. Interfecit oues, mox & capellas, postremo boues quoq; mactat, ut habeat quo inedia penè exhaustum corpusculũ sustentet. Id uidẽtes canes, salutem fuga quærere constituunt, sese enim non uicturos diutius, quando ne bobus quidem, quorum in opere rustico faciundo utebatur opera, pepercerit herus.

MORALE.

☞ In quam donum mercedis gratia te tradas, uide. Nonnulli humanissimi sunt heri. Multi etenim hodie eó dementiæ prolabuntur, ut uel seruos infortunio, malo

WBP Opole

& damno libenter mactent.

DE VVLPE ET LEONE.

VVlpecula quæ leonis immanitatem insuetam habebat, semel atq; iterum id forte animalis contemplata.trepidare,& fugitare,cum iam tertio obtulisset sese obuiã leo, tantũ abfuit ut metueret quicq̃ uulpes, ut confidenter illum adiuerit, salutaueritq;.

MORALE.

☞ Omnes nos consuetudo audaciores facit, uel apud eos quos antea aspicere uix ausi fuimus.

DE VVLPE ET AQVILA.

VVlpeculæ proles foras excurrerat, ab aquila comprehensa matris fidem implorat. Accurrit illa, ut captiuam prolem diuuttat, aquilam rogat, aquila nacta præda ad pullos fubuolat, Vulpes correpta face, quasi illius munitiones incendio absumptura esset, insequitur. Cum iam arborem conscendisset,& ipsa nunc te,inquit,tuosq; si potes tuêre,trepidãs aquila, incendium dum metuit, parce inquit mihi, paruisq; liberis, tuum quicquid habeo reddidero.

MORALE.

☞ Per aquilã potentis atq; audacis animi homines intellige. Per uulpẽ pauperculos, quos calumnijs premere contumeliisq; afficere, diuitibus æquè studium est. Verum quãdo est sua & formicis ira, impotentes ij acceptam interdum probè ulciscuntur iniuriam.

De

DE AGRICOLA ET GRVIBVS.

GRuibus anseribusq; sata depascentibus, laqueum prætendit rusticus, capiuntur grues, capiuntur anseres, capitur & ciconia. Supplicat illa, innocentem sese clamitans, & nec gruem nec anserem esse, sed auium omnium optimam, quippe quæ parenti sedulo semper inseruire, eundemq; senio confectum alere cõsueuerit. Agricola horũ, inquit, nihil me fugit, uerũ nocentibus postq̃ te cœpimus, cum his quoq; morieris.

MORALE.

☞ Qui flagitium committit, & is qui impuris se adiungit socium, pari pœna plectuntur.

DE GALLO ET CATO.

VEnit ad gallum comedendum catus, non satis autem habens ad nocendum causæ, gallum criminari occipit, obstreperam esse auẽ dictitans, utpote quæ uoce tam acuta noctu dormiẽtes homines expergefaciat. Ille se innocentem ait, cum sic excitet in opera mortales. Catus contra intonat, nihil agis sceleste, cum matre rem habes, nec sorori abstines. Id gallus quoq; expurgare cum niteretur, Ne hoc, inquit, perseuerantius sæuiens catus, quicquam facis, tu mihi hodie discerperis.

MORALE.

☞ Vetus dictum esse ait Guilelmus Goudanus, ut cauẽ cædas, facilè inueniri baculum. Malus si libitum fuerit quo iure quaq; iniuria te præcipitem dabit.

De

DE OPILIONE ET AGRICOLIS.

PVer editiore pratulo oues pascebat, atq; per iocũ terq; quaterq; lupum adesse clamitans, agricolas undiq; exciebat, illi sæpius elusi, serio auxilium imploranti, dum non subueniunt, fiunt oues præda lupo.

MORALE.

☞ Si mentiri insueuerit quispiam, huic, si quando uerũ narrare occeperit, haud facilè habebitur fides. Superiori apologo finitimus est ille apud Horatiũ, de Planno scurra iocus.

Nec semel irrisus triuijs attollere curat,
Fracto crure Planum, licet illi plurima manet
Lachryma, per sanctum iuratus dicat Osirim,
Credite, non ludo, crudeles tollite claudum.
Quære peregrinum uicinia rauca reclamat.

DE AQVILA ET CORVO.

RVpe editißima in agni tergum deuolat aquila, uidens id coruus, imitari (uelut simius) gestat aquilam, in arietis uellus se demittit, demissus impeditur, impeditus comprehenditur, comprehensus proijcitur pueris.

MORALE.

☞ Non aliorum sed sua se quisq; uirtute æstimet. Tute pede metire, inquit Horatius, Id uelis id tentes quod possis.

DE CANE INVIDO & boue.

Præsepio

PRæsepio fœni pleno decumbebat canis, uenit bos ut comedat. Ille sese surrigens prohibere. Bos, Dij te cum tua istac inuidentia perdant, inquit, qui nec ueno uescris, nec eo me uesci finis.

MORALE.

☞ Eo sunt ingenio plerique, ut alijs inuideant quod ipsi mentis inopia assequi nequeunt.

DE CORNICE ET OVE.

STrepitat in ouiculæ dorso cornicula. Quis ami inquit, si sic obstreperes, ferres infortuniũ. At cornix, scio quibus insultẽ, placidis molesta, sæuis amica. MORALE.

☞ Impotenti & syncero perpetua est cum malis parata certatio, illuditur solus innocentissimus quisque, nocentis uero præferocis hominis aures adstrepit nemo.

DE PAVONE ET LVSCINIA.

PAuo apud summi Iouis sororem & coniugem Iunonem quæritur luscinian suaue cantillare, se ob raucã rauim ab omnibus irrideri. Cui Iuno, dos suã à Dijs cuique, luscinia cãtu, tu plumis longè superas, unũquẽque sua sorte decet esse contentũ. MORALE.

☞ Quæ Diui largiuntur, grato animo, neque maiora quæsierimus. Superi temerè agũt nihil.

DE MVSTELA senicula & muribus.

MVstela præ senio uiribus carens, mures iam ita ut solet, insequi nõ ualebat, meditari cœpit dolum

lum, in farinulæ se colliculam illatebrat, sic sperans fore ut citra laborem uenetur. Accurrunt mures, & farinam esitare dũ cupiunt, ad unum omnes à mustela uorantur.

MORALE.

☞ Vbi uiribus quispiã destitutus fuerit, ingenio opus est, Lysander Lacedemonius subinde dicere solebat, quo non peruenirent leonina pellis, uulpinam assuendam esse. Quod si lucidius dixeris, Vbi uirtus non satis potest, adhibenda est astutia.

APOLOGVS EX MANTVANO traductus.

RVsticus quidam ex malo, quam in proximo habebat agello, sapidissima quotannis legebat poma, hero lecta donabat urbano, qui illectus incredibili pomorum dulcedine, malum tandem ad se transtulit, ea uetterrima repente exaruit, atq; ibi poma pariter & malus periêre. Quod cum patrifamulias nunciaretur, heu difficile est, inquit, annosam transplantare arborem satis superq; fuerat, si frenos meæ nouissem imponere cupiditati, fructus ramo decerpere.

Hanc fabulam sic Mantuanus.

Rusticus ex malo dulcissima poma legebat.
Vnde dare urbano dona solebat hero.
Ast herus illectus frugum dulcedine, malum
Transtulit in laribus proxima rura suis.
At quia malus erat senior, translata, repente
Aruit, & proles cum genitrice obit.

Hell

Heu male transfertur senio cum induruit arbor.
Inquit herus fuerat carpere poma satis.

MORALE eiusdem.

Qui nimium sapiunt atq; inconcessa sequuntur
Desipiunt, cohibet, qui sua uota sapit.

FABVLÆ

M. PETRO SCOTO VIRO
ornatissimo eidemq; humanissimo scriptæ à Barlando.

DE LEONE ET RANA.

AVdire uocem uisus leo prosiluit, subsistit non sine trepidatione, magni quippiam expectans, egreditur tandem aquis ranula, Leo deposito metu appropians, bestiolam proculcat pedibus.

MORALE.

Vetat hic apologus inanes timores, ut illa à Guilelmo Goudano uersa fabula de partu montium.

DE FORMICA.

SItiens uenit ad fontem ut biberet formica, incidit forte in puteum, opitulatur eminus ex arbore deiecto ramo columba. Ramũ conscendens formica, seruatur. Adest columbam ut capiat auceps, non sinit formica, aucupis pedem arrodit mordicus, auolat columba.

MORALE.

Docet

☞ Docet hæc fabula præclarè meritis referendam esse gratiam.

DE AVIBVS.

GEns auium cum liberè uagaretur, optabat sibi dari regem, pauo se in primis dignum qui eligeretur putabat, quia esset formosissimus, hoc in regem accepto. Pica, ô rex (inquit) si te imperante aquila nos præstrenuè (ut solet) insequi cœperit, quo illam modo abiges? quo nos pacto seruabis?

MORALE.

☞ In principe non tam forma, quàm corporis fortitudo spectanda est & prudentia.

DE AEGROTO ET MEDICO.

MEdicus curabat ægrotum, ille tandem moritur, Tum ad cognatos medicus, hic, inquit, intemperantia periit. MORALE.

☞ Bibacitatem & libidinem nisi quis maturè reliquerit, aut nunquam peruenit ad senectutem, aut perbreuem est habiturus senectutem.

DE LEONE ET ALIIS.

LEo asinus uulpes eunt uenatum, capitur amplà uenatio, capta partiri iussa. Asino singulas singulis partes ponente, irrugijt leo, asinum rapit ac laniat. Postea uulpeculæ id dat negocij, quæ astutior, cum leoni longè optima posita parte, sibi uix minimam particulam reseruasset, rogat leo, à quo sic docta sit, Cui illa, huius me (inquit) calamitas docuit, mortuum

asinũ

ſinum oſtendens. MORALE.

☞ *Fœlix quem faciunt aliena pericula cautum.*

DE HOEDO ET LVPO.

FEneſtra proſpectans hœdus, prætereuntem lupum conuitijs inceſſere audebat. Cui lupus, nõ tu (ait) ſceleſte mihi conuiciaris, ſed locus.

MORALE.

☞ *Et tempus & locus ſæpe audaciam addunt homini.*

DE ASINO.

ASinus de hortulani ſæuitia querens, Ioui ſupplicat alium dari herum. Exaudire Iuppiter uota aſini, dat tegularium. Apud quem cum tegulas grauioráq; tergo uectaret onera, acceſſit rurſus Iouem, orat dari qui mitior ſit. Ridere Iuppiter, ille tamen nõ deſtitit inſtare, orare, uſq; adeo donec perpelleret, dat ille coriarium, quem ubi pernouit aſellus, me miſerum, inquit, qui dũ nullo ſum cõtentus domino, in eũ incidẽrim, qui nec corio quidẽ meo, quãtum auguror, parcet.

MORALE.

☞ *Semper dãnamus quæ præſentia ſunt, et noua appetimus, quæ (ut dici ſolet) ueteribus non ſunt potiora.*

DE ANV ET ANCILLIS.

ANus quædam domi habebat ancillas complures, quas quotidie antequam luceſceret, ad galli gallinacei, quem domi alebat, cantum excitabat ad opus. Ancillæ quotidiani tandem negotij commotæ

tædio gallũ obtruncant, sperãtes iã necato illo in medios sese dies dormi. uras, Sed hæc spes miseras frustrata est, hera enim, ut interemptum gallum resciuit, intempesta deinceps nocte surgere iubet.

MORALE.

☞ Non pauci grauius malum dum studeñt euitare, in alterum diuersum incidunt. Peruulgatum est.

Incidit in Scyllam qui uult uitare Charybdim.

DE ASINO ET EQVO.

ASinus beatum putabat equum, quód pinguis esset, & in ocio degeret, se uero infœlicem dicebat, quód macilentus esset ac strigosus, quotidieq; ferendis oneribus ab immiti hero exerceretur. Haud multo post ad arma conclamatum est. Tum equus non equitem dorso, non frenum repulit ore, nec telum corpore, hoc uiso, asinus magnas Dijs gratias agebat, quod non equum se sed asinum fecissent.

MORALE.

☞ Miseri sunt, quos uulgus beatos iudicat, et nõ pauci beati, qui se miserrimos putãt. Sutor crepidarius regem dicit fœlicem, quem omnium rerum compotem uidet, non considerans in quãtas rex solicitudines distrahatur, dum interim ipse optima paupertate cantillet.

DE LEONE ET CAPRA.

EDita rupe ambulantem caprã forte conspicatus leo, monet ut potius in uiride pratum descendat,

Capra

Capra facerem fortasis, inquit, si tu abesses, qui mihi non istuc suades, ut ego inde ullam capiam uoluptatem, sed ut tu habeas quod uores famelicus.

MORALE.

☞ *Omnibus ne habeas fidem, quidam enim non tibi, sed sibi consulunt.*

DE VVLTVRE ALIISQVE AVIBVS.

ANnuum sc natalem celebrare assimulat uultur, auiculas ad cœnam inuitat. Veniunt pleræq; omnes, uenientes magno plausu fauoribusq; accipit, acceptas laniat uultur.

MORALE.

☞ *Non sunt amici omnes, qui blandè dicunt, aut beniguè se facere uelle simulãt, latẽt sub hoc melle uenena.*

DE ANSERIBVS.

ANseres unà cum gruibus agrum uastabant, quibus auditis, rustici protinus in illos feruntur. Rusticos conspicatæ auolant grues, capiuntur anseres, qui impediti corporis onere, subuolare non poterant.

MORALE.

☞ *Expugnata ab hostibus urbe, facilè se subducit inops, at diues seruit captus. In bello diuitiæ magis oneri sunt quàm usui.*

DE IOVE ET SIMIA.

IVppiter scire percupiens, quisnam mortalium scitissimos æderet liberos, conuocari iubet quicquid

uſpiam eſt animantium. Concurritur ad Iouem undiq;, aderat iam alitum pecudumq; genus, inter quas ſimia deformes catulos brachio geſtans cum aduenisſet, à riſu temperare nemo potuit, quinetiã Iuppiter ipſe profuſe admodũ riſit. Ibi continuo ſimia, imo inquit, nouit et Iuppiter iudex noſter catulos meos magnope omnes quotquot adſunt præcellere. MORALE.

Suum cuiq; pulchrũ, ut eſt adagium. Et alibi apud Theocritum in Aegloga ſexta.

Quæ minimè ſunt pulchra, ea pulchra uidentur amanti.

ANIANI FABVLAE HADRIANO BARLANDO interprete.

DE QVERCV ET ARVNDINE.

FASTVS OLIM ATQVE adeo inſolentiæ plena quercus, arundinem aggreſſa eſt, ſi nunc, inquiens, pectus animoſum tibi, procede agedum ad pugnam, ut noſter duarum euentus oſtendat, utra uiribus præſtet. Arundo quercus ca tum, exultationem, fortitudiniſq; agitationem uanam nihil mirata, ſic reſpondit, certamen nunc abnuo

abnuo, nec meæ sortis me piget. Nam si in omnem partem mobilis, tempestates tamen peruinco sonoras, tu, si semel uasto rex Aeolus antro, luctantes emiserit uētos, concides, & mihi tum ridebere. MORALE.

☞ *Declarat hæc fabella non eos semper fortissimos esse, qui nulla etiam lacessiti iniuria alijs insultant.*

DE PISCATORE ET PISCICVLO.

Piscator iacto in aquam hamo cibis illito, piscículum eduxit, orat, obsecratq; captiuus, se minutulum uti abire sinat & adolescere, ut postea maiore potiatur. Piscator ego, inquit, spem precio non emo, quippe qui eo fuerim ingenio semper, ut quicquid possem, mallem auferre potius in præsentia.

MORALE.

☞ *Hæc nos monet fabella, ne certa unquam incertorum spe unguibus emittamus. Quid enim stultius (ut est apud Ciceronem) quàm incerta pro certis habere.*

DE FORMICA ET CICADA.

Appetente hyeme, frumentum in areolam ad solem trahebat formica, uidet id cicada, accurrit, rogitat granum. Formica cur non inquit, & tu meo exemplo æstate trahis quodcunq; potes, atq; addis aceruo? Respondet illa, sibi id temporis cantando transigi. Ridens formica, si, ait, æstate cantitare soles, merito nunc esuris.

MORALE.

☞ *Monemur hac fabula, dum adhuc robur corporis adest, quærere eà, quibus imbecilla sustentetur senectus. Per hyemem senectutem intellige. Per æstatem adolescentiam, & florem illum ætatis.*

DE LEONE ET TAVRO.

LEonem fugitabat taurus, in hircũ incidit, is cornu & caperata minitabatur fronte, ad quem plenus iræ taurus. Non tua, inquit in rugas cõtracta frons me territat, sed immanẽ metuo leonẽ, q nisi tergo hæreret meo, ità scires nõ ita paruã rem esse pugnare cũ tauro, et nostro seq de uulnere sanguinẽ. MORALE.

☞ *Calamitosis non est addẽda calamitas. Sat miser est qui semel est miser.*

FABVLÆ

ANIANI, GVILIELMO HERMANno diui Augustini ordinis Canonico interprete, mutatæ, incipiunt fœliciter.

DE NVTRICE ET LVPO.



NVtrix minatur puerum plorantem (ni taceat) dari lupo. Lupus id forte audit, spe cibi manet ad fores, Puer tandem silescit obrepente somno, regreditur lupus in syluam ieiunus & inanis. Lupus ubi

pus ubi sit præda scisciatur. Gemebundus ille, uerba, inquit, data mihi sunt. Puerum plorantem se abijcere minabatur nutrix, at fefellit. MORALE.

☞ Fœminæ non est adhibenda fides.

DE TESTVDINE ET AQVILA.

COeperat testudinem tædium reptandi. Si quis eam in cœlum tolleret, pollicetur baccas maris rubri. Sustollit eam aquila, poscit præmiũ. Nõ habentem fodit unguibus. Ita testudo, quæ concupijt uidere astra, in astris uitam reliquit.

MORALE.

☞ Tua sorte sis contentus. Fuêre nonnulli qui si manssissent humiles, poterant esse tuti, facti sublimes, incide runt in pericula.

DE CANCRIS, MÂTRE ET FILIO.

CAncrum retrogradum monet mater, antrorsum ut eat. Filius respondet. Mater, inquit, i præ, sequar. MORALE.

☞ Nullum reprehenderis uitij, cuius ipse queas reprehendi.

DE SOLE ET AQVILONE.

SOl & uentus aquilo certant, uter sit fortior. Conuentum est experiri uires in uiatorem, ut palmam ferat, qui excusserit manticam. Boreas horrisono nymbo uiatorem aggreditur, ac ille non desistit, amictũ gradiendo duplicans. Assunt uices solis, qui nymbo

nymbo paulatim euicto, emolitur radios. Incipit uiator æstuare, sudare, anhelare. Tandem progredi nequiens, captat frigus opacum, atq; sub frondoso nemore, abiecta mantica resedit. Ita soli contigit victoria.

MORALE.

☞ *Qui cum certes etiam atq; etiam uide. Nam etsi tu fortis es, est forsitan te alius fortior. Aut si non fortior, certe callidior, ut consilio suo tuum uincat robur.*

DE ASINO.

Asinus uenit in syluam, offendit exuuias leonis, quibus indutus redit in pascua, greges armentaq; territat & fugat. Venit qui perdiderat, quæritat suum asinum. Asinus uiso hero occurrit, imo cum rugitu suo incurrit. At herus prehensis quæ extabant auriculis, alios licet, inquit, fallas, ego te aselle mi, probè noui. MORALE.

☞ *Quod non es, ne te esse simules, non doctum, cum sis indoctus, non diuitem, non nobilem, cum sis pauper & ignobilis, te iactes, uero enim comperto rideberis.*

DE RANA ET VVLPE.

Rana egressa paludem, in syluis apud feras medicinam profitetur. Ait se nec Hippocrati nec Galeno cedere, Cæteris habentibus fidem, illusit uulpes, An hæc, inquit medicinæ habebitur perita, cui sic pallet os? quin curet se ipsam? Sic illusit uulpes. Est enim ranæ os cæruleo colore.

Morale

MORALE.

☞ *Stultitiæ est profiteri quod nescias, & ridiculum.*

DE CANE MORDACI.

CAnis subinde homines mordenti, ut sibi quisq; caueret, alligarat dominus nolam. Canis ratus uirtuti suæ tributum decus, suos populares despicit. Accedit ad hunc canum aliquis ætate atq; autoritate grauis, monens eum ne erret. Nam ista, inquit, nola data est tibi in dedecus non in decus.

MORALE.

☞ *Glorioſus interdum ſibi ducit laudi quod ipſi eſt uituperio.*

DE CAMELO.

CAmelus sui pœnitens, quærebatur tauros insignes ire geminis cornibus, se inermem obiectum cæteris animalibus. Orat Iouem donari sibi cornua. Ridet Iuppiter stultitiã Cameli, nec modo uotum negat uerum & auriculas bestiæ decurtat.

MORALE.

☞ *Sit quisq; fortuna contentus sua. Etenim multi fortunam secuti meliorem, incurrêre peiorem.*

DE DVOBVS AMICIS ET VRSO.

DVo amici faciunt iter, occurrit in itinere ursus, Vnus arbore conscensa, pericula euitat. Alter cum spes fugæ non esset, collidit se humi. Accedit belua, contrectat iacentem, os explorat & aures.

Homine spiritū continente ac mortum, ursus quia mortuis parcit, ratus cadauer esse, innocuus discedit. Percontanti postea socio, quidnam bestia dixisset incenti in aurem, hoc monuisse ait, ne unquam cum illiusmodi amicis iter faceret.

MORALE.

☞ Rara auis in terris nigroq; simillima cygno, fides est. Verum amicum res aduersæ & pericula monstrant.

DE EQVITE ET CALVO.

EQues caluus illigarat pileo comam fictitiam. Venit in campum acri spirante Borea, ac dum male obseruat capillatum galerum, subito apparet caluities. Tollit cachumnum corona, nec non et ipse ridet. Quid noui est inquit, auolare capillos alienos, cum olim defluxerint, qui fuerant mei.

MORALE.

☞ Bellè fecit eques, qui non est indignatus, sed cum ridentibus risit. Socrates uero cum accepisset in foro alapam, hoc modo respondit, Molestum esse nescire homines quando debeant prodire cum galea.

DE DVABVS OLLIS.

DVæ ollæ stetêre in ripa, altera erat lutea, altera ærea, utramq; tulit uis fluuij, Luteæ collisionem metuenti respondet ærea, ne quid timeat, sese enim ne collidatur, satis curaturam. Tum altera, seu me inquit, tecum, seu te mecum flumen collisserit, cum meo utrumq; fiet periculo. Quare certum est à te separari.

Morale.

MORALE.

Satius est uiuere cum socio pari, q̃ cum potentiori. A potẽtori enim potest esse periculũ tibi, nõ illi à te.

DE RVSTICO ET FORTVNA.

RVsticus cum araret, offendebat in sulcis thesaurum. Gratias agit telluri, quæ hunc dedisset. Fortuna uidens nihil honoris haberi sibi, ita est secum locuta, Thesauro reperto stolidus mihi nõ est gratus, at eo ipso thesauro postea amisso, me primam omnium uotis & clamore sollicitabit.

MORALE.

Beneficio accepto, grati sumus bene de nobis merenti. Ingratitudo enim digna est, etiam beneficio quod iã acceperit, priuari.

DE TAVRO ET CAPRO.

FVgit leonem taurus, uenit ad speluncam, quærens latibulum. Intranti occurrat cornibus qui intus erat caper. Tum ijs uerbis bos emugit. Tu equidem cornibus tuis meam excipis fugam. Verum si abierit quem fugio, quantum à uiribus tauri distet caper tum senties.

MORALE.

Quis nescit miseris esse succurrendum, aut certè non nocendum? Quisquis enim à miserorum iniuria non temperauerit, si (ut est fortuna mutabilis) miseris redierit fœlicitas, nimirum nocuisse miseris eũ pœnitebit.

De

DE SIMIA RT EIVS PROLE.

OMnes animantes suo conspectu Iuppiter adesse iusserat, cuius nam soboles esset pulcehrrima iudicaturus. Properant ferae, aduolant aues, nec non ad id certamen adnatant pisces. Omnium postrema festinat simia, trahens secum suam prolem. Cuius quidem prolis fœdas nates cunctis ridentibus, sic inquit, Maneat cui fauerit Iuppiter uictoria, meo tamen iudicio, hic meus natus est bellus, et omniũ natis iure praeferendus. Hoc dicto subrisit & Iuppiter.

MORALE.

☞ Et nos, & nostra nobis placent. Sed de nobis, & de nostris factis, aliorum sit iudicium, ne si ipsi iudicemus, cum simia rideamur.

DE PAVONE ET GRVE.

PAuo & grus unà cœnant. Pauo se iactat, caudam ostentat, gruem contemnit. Grus fatetur pauonem formosis esse pennis, se tamen dum uix tectis superuolat pauo, animoso uolatu penetrare nubes.

MORALE.

☞ Nemo alterum contempserit. Sua cuiq; dos, sua cuiq; est uirtus. Qui tua uirtute caret, forsan habet qua careas tu.

DE QVERCV ET ARVNDINE.

VAlidiore notho effracta quercus, in flumẽ praecipitatur. Dumq; fluitat, hæret forte ramis suis in arun-

in arundine, miratur arundinem in tanto turbine stare incolumem. Hæc respondit, cedendo & declinando se esse tutam, inclinare ad Nothum, ad Boream, & ad omnem flatum, nec mirum esse quòd quercus exciderit, quæ non cedere sed resistere concupiuit.

MORALE.

☞ Potentiori ne resistas, sed hunc cedendo & ferendo uincas. Quod pulchrè docet facundissimus poëtarum Virgilius.

Nate Dea quò fata trahunt retrahuntq; sequamur
Quicquid erit superanda omnis fortuna ferendo est

DE TIGRIDE ET VVLPE.

VEnator iaculo agitabat feras. Tigris iubet omnes feras abstistere, sese unam ait bellum confecturam. Pergit uenator iaculari, Tigris cõpido sauciatur. Fugientem è prælio telumq; extrahentem percunctatur uulpes, quisnam ualentem beluam tam ualde uulneraſſet? Respondet se autorem uulneris haud nosse, uerum ex uulneris magnitudine capere se coniecturam aliquem fuisse uirum.

MORALE.

☞ Fortes plerunq; sunt temerarij, & ars uim, ingenium fortitudinem superat.

DE TAVRIS ET LEONE.

QVatuor fuêre tauri, quibus placuit cõmunem ipsorum esse salutem, & commune periculũ,

Videt

Videt leo simul pascentes, & si esurit, tamen coniunctos aggredi metuit. Primum dat operam uerbis fallacibus segregare, tum segregatos laniat.

MORALE.

☞ Concordia nihil est firmius, discordia etiam fortes reddit imbecilles.

DE ABIETE ET DVMO.

FErtur olim abies despicere dumos, iactitat se proceram esse, locari in ædibus, cum uelo stare in nauibus, dumos autem humiles, uiles, nulli usui idoneos. Quorum quidem tale fuit responsum. Tu sanè abies tuis gloriaris bonis, ut nostris insultes malis, Verum nec tua refers mala, & nostra præteris bona. Cum tu sonanti detruncare securi, quam uelles tum nobis, qui securi sumus, esse te similem. MORALE.

☞ Et summæ fortunæ sua insunt mala, & humili fortunæ sua bona. Vt nil aliud nunc dicam, hæc secura est ac tuta, illa nec extra metum est, nec caret periculo. Horatius canit in Lyricis.

Celsæ grauiore casu
Decidunt turres, feriuntq; summos
Fulgura montes.

DE PISCATORE ET PISCICVLO.

SVbductus hamo pisciculus, orat piscatorem se dimitti. Ait se modo à matre fusum, & mensam, cui adhuc minutus sit, non multum iuuare. Si dimittat

postea grandem ultro ad hamum eius rediturum. Piscator negat se dimittere prædam certam, licet exiguam. Quid habeam, inquit, scio, quid sim habiturus nescio, Ego spem precio non emo. MORALE

☞ Certum præstat incerto, præsens futuro, & si nõ nunquam exile commodum omissum attulit magnum.

DE ALITE ET PVLLIS EIVS.

ALes positos in segete pullos monet, ut dum ipsa abest, diligenter attendant, si fiat sermo de occatione. Redeunti è pastu matri, pulli anxij narrant dominum agri operam illam mandasse uicinis. Respondet nihil esse periculi. Item alio die trepidi, aiunt rogatos ad metendum esse amicos. Iterum iubet illa, ut sint securi, Tertio ut audiuit ipsum dominum cum filio statuisse postero mane cum falce messem intrare, iam inquit, tempus est ut fugiamus. Vicinos & amicos non timui, quia non uenturos sciui. Timeo dominum, illi enim res est cordi. MORALE.

☞ Socordes alienis in rebus plerique sumus. Quod si qd rectè curatum uelis, alteri ne mandes, sed cures ipse.

DE AVARO ET INVIDO.

DVo homines orabant Iouem, cupidus et inuidus, Mittitur à Ioue Apollo, per hũc, ut eorum uotis satis fiat, dat hic utriq; optandi liberam facultatem, hac conditione, ut quodcunq; petisset alter, idipsum alter acciperet duplicatum. Hæret diu cupidus,

cum

cum nihil putat fore satis, Petit tandem non pauca. Et duplum accipit socius. Porro inuidus hoc petit, ut ipse uno priuetur oculorum, lætus socium mulctandum esse utroq;. MORALE.

☞ *Auaritiã qd posit satiare? Inuidia uero demẽtius nihil est, quæ dũmodo noceat alteri, sibimet imprecatur malum.* DE LEONE ET CAPELLA.

VIdet leo pendere dumosa de rupe capellam, suadet descendere, ut in campo thymum salicesq; carpat. Recusat capella descendere, uerba quidem eius haud sanè mala, sed mentem esse plenam doli reclamans. MORALE.

☞ *Cogita quis quid suadeat. Multi suadent utilia, nõ tibi sed sibi.*

DE CORNICE ET VRNA.

SItibunda cornix reperit urnam aquæ, sed erat urna profundior, quàm ut posset à cornice aqua contingi, conatur effundere urnam, nec ualet. Tum lectos ex harena scrupulos iniectat, hoc modo aqua leuatur, & cornix bibit. MORALE.

☞ *Interdum id quod non potes efficere ui, efficies prudentia & consilio.*

DE LEONE ET VENATORE.

LItigat leo cum uenatore, suam præfert fortitudinem hominis fortitudini. Post longa iurgia, uenator ducit leonem ad mausolum, in quo sculptus erat

erat leo, caput deponens in gremium uiri. Negat fera id satis esse indicij, homines enim sculpere quód uellent ait, quód si & leones fuerint artifices, iam uirum sculptum iri sub pedibus leonis. MORALE.

☞ Quisq; quod potest, & dicit & facit, quod suæ parti & causæ putat prodesse.

DE PVERO ET FVRE.

SEdebat puer flens apud puteum. Fur rogat causam flendi. Puer dicit rupto fune incidisse in aquas urnam auri. Homo exuit se, insilit in puteum, quærit. Vase non inuento, conscendit, atq; ibi nec puerum nec suam inuenit tunicam. Puer quippe sublata tunica fugerat. MORALE.

☞ Falluntur interdum, qui fallere solent.

DE RVSTICO ET IVVENCO.

ERat rustico iuuencus, uinculi omnis iugiq; impatiens. Homo astutulus bestiæ resecat cornua (cornibus enim petebat) tum iungit non currui, sed aratro, ne, ut solet, herum pulsaret calcibus, Stiuam ipse tenet, gaudens industria effeciisse, ut iam foret tutus & à cornibus & ab ungulis. Sed quid euenit? Taurus subinde resistens, spargendo pedibus, os caputq; rustici opplet harena. MORALE.

☞ Sunt nonnulli sic intractabiles, ut nulla queant arte tractari.

DE SATYRO ET VIATORE.

SAtyrus qui Deus nemorum olim est habitus. Viato rem niue obrutum, atq; algore enectum miseratus ducit in antrum suum, fouet igne. Spirantem aũt in manus percontatur causam. Qui respondens, ut calefiant, inquit. Postea cum accumberent, sufflat uiator in polẽta. Quod cur faceret interrogatus, ut frigescat inquit. Tum continuo satyrus uiatorem eijciens, nolo, inquit, in mea sit antro, cui tam diuersum est os.

MORALE.

☞ Caue sit in tuo conuictu homo duplici ore, quicq; in sermone est Proteus.

DE APRO ET RVSTICO.

APro uastanti segetes, rusticus præcidit auriculam. Iterum deprehenso, præcidit alteram. Et tunc quoq; redeuntem capit, captum portat in urbem destinatum lautitiæ sui patroni. Secta iam in cõuiuio belua, nusquam apparet cor. Excandescente hero, & flagitante cocos, uillicus respondet. Patrone, inquit, non est mirum non apparere cor, nam credo stultum aprum nunquam cor habuisse. Nam si cor habuisset, nunquam in pœnam suam ad meas segetes toties redijsset. Sic rusticus. At omnes conuiuæ emori risu, cacchinari de stultitia rustici.

MORALE.

☞ Multorum hominum tam est excors uita, ut an cor habeant, possis ambigere.

DE TAVRO ET MVRE.

Mus

MVs tauri pedem momorderat, fugiens in antrum suum. Taurus uibrat cornua, quærit hostem, nusquam uidet, irridet eum mus. Quia inquit, robustus es & uastus, non idcirco quemuis contemperis. Nunc te (& quidem gratis) læsit exiguus mus.

MORALE.

☞ Tritum illud est uerbū, quod significantius nostrate lingua dixerim. Niemand sol uerachtn seinen feindt. Latine sic. Nemo suum hostem floccipendat.

DE RVSTICO ET HERCVLE.

RVstici currus hæret in profundo luto. Mox supinus Deū herculē implorat. Intonat uox è cœlo, inepte inquit, flagella equos, & ipse admittere rotis, atq; tū Herculem uocato, tum enim aderit Hercules uocatus.

MORALE.

☞ Nil prosunt ociosa uota, quæ sanè Deus nō audit. Iuua temet (inquiunt) ipse, tum iuuabit te Deus.

DE ANSERE.

FVit anser, qui ponebat ouа aurea, singulis diebus singula, dominus ut subito fiat dines, anserem iugulat, sperans intus latere gazam. Sed anseре inuento uacuo, stupet miser, anxieq; dehinc suspirat, ac plangit, & rem & spem perijsse.

MORALE.

☞ Moderanda sunt uota. Curandum est, ne uel præproperi simus, uel nimij. Nam & festinantia nocet &

qui plura quam decet, quærit, interdum acquirit nihil.

DE CICADA ET FORMICA.

CVm per æstatem cicada cantat, formica suam exercet messem, trahit in antrum grana, reponens in hyemem. Sæuiente bruma, famelica cicada uenit ad formicam, mendicat uictum. Renuit formica, dictitans sese dum illa cantabat laborasse.

MORALE.

☞ *Qui segnis est in iuuenta, egebit in senecta, & qui non parcit, olim mendicabit.*

DE SIMIA & duobus eius natis.

SImia ut ferunt, cum peperit gemellos, alterum diligit, alterum negligit. Erat puerpera cum gemellis, atq; cum incidisset terror, uitatura periculum, dilectum prehendit ulnis, quem, dum præceps fugitat, collidit petræ atq; enecat, neglectus autem, qui in hirsuto hæserat tergo fugientis, mansit incolumis.

MORALE.

☞ *Solet euenire ut ipsi parentes filio, quem tenere amant præ nimia indulgentia sint mali occasio & periculi, eo, quem minus amarunt, præstante se strenuum ac probum.*

DE BOVE ET IVVENCO.

BOs iam grandis æuo, quotidie trahebat aratrum, iuuēcus laboris expers, uicinis exultat in pascuis, ac tandem insultat fortunæ senioris. Iactat se iugi ac uin

ac uinculi inscium, se liberum, se ociosum, illi attritum esse labore collum. Denicq; se glabrum, ac nitidũ, illum esse hirtum ac squalidum. Senior tum quidem nihil contra, sed breui post tempore uidet hunc insultorem duci ad aras, ac tum hisce uerbis affatur. Quo tua mollis uita peruenit? Securum illud otium rediit ad securim. Iam saltem (ut opinor) potius suades mihi laborem, qui me tuetur, quàm otium, quod nunc te traxit ad necem.

MORALE.

☞ Ad uitam rectè gerendam opus est labore & uigilantia. Secors autem & uoluptate deditus, suarum rerum quem nolet, sortietur exitum.

DE CANE ET LEONE.

Occurrit canis leoni, iocatur, quid tu miser exhaustus inedia, percurris syluas & deuia? Me spectа pinguem ac nitidum, atq; hæc non labore consequor, sed ocio. Tum leo, habes tu quidem tuas epulas, sed habes stolide etiam uincula. Tu seruus esto, qui seruire potes, equidem sum liber, nec seruire uolo.

MORALE. ☞ Pulchrè respondit leo, quibuslibet enim rebus potior est libertas.

DE PISCIBVS.

Piscis fluuialis ui fluminis correptus est in mare, ubi suam efferens nobilitatem, omne marinum genus uilipendebat. Non tulit hoc phoca, sed ait tunc fore iudicium nobilitatis, si cum phoca captus

portetur ad forum. Se emptum iri à nobilibus, illum autem à plebe. MORALE.

☞ Multi sic capti sunt libidine gloriæ, ut seſe ipſi prædicent & iactent. Sed laus ſui oris non datur homini laudi, at excipitur cum auditorum riſu.

DE PARDO ET VVLPECVLA.

PArdus cui pictum eſt tergum, cæteris feris, etiam leonibus deſpectis, intumeſcebat. Accedit ad hunc uulpecula, ſuadet non ſuperbire, dicens, illi quidē ſpecioſam eſſe pellem, ſibi uero ſpecioſam eſſe mentem. MORALE.

☞ Diſcrimen eſt bonorū et ordo. Bona corporis præſtāt bonis fortūæ. Vtriſq; illis, animi præferātur oportet

APOLOGI

EX CHILIADIBVS ADAGIORVM Eraſmi deſumpti ad communem puerorum fructum.

DE VVLPECVLA ET PARDALE.



VM aliquando pardalis uulpem præ ſe contēneret, quód ipſa pellem haberet omnigenis colorum maculis uariegatam, reſpondit uulpes, ſibi id decoris in animo eſſe, quod illi eſſet in cute.

Morale

MORALE.

☞ Neq; uero paulo satius est ingenio præditum esse uafro, quam cute uersicolore.

DE VVLPE ET FELE.

CVm aliquando uulpes in colloquio, quod illi erat cum fele, iactitaret sibi uarias esse technas, adeo ut peram haberet dolis refertam, Feles autem responderet sibi unicam duntaxat artem esse, cui fideret si quid esset discriminis. Inter confabulandū repente canum accurrentium tumultus auditur, ibi feles in arborem altißimam subsilijt, cum uulpes interim à canū agmine cincta, capitur.

MORALE.

☞ Innuit fabula, præstabilius esse nonnunquam unicum consilium, modo id sit uerum & efficax, quàm plures dolos, consiliaq; friuola.

DE REGE ET SIMIIS.

REx quidam Aegyptius aliquot simias instituit, ut saltandi rationem perdiscerent, Vt enim nullum animal ad figuram hominis propius accedit, ita nec aliud actus humanos, aut melius, aut libentius imitatur. Artem itaq; saltandi protinus edoctæ, saltare cœperunt, insignibus indutæ purpuris, ac personatæ. Multoq; iam tempore maiorem in modū placebat spectaculum, donec è spectatoribus facetus quispiam, nuces, quas clanculum in sinu gestabat, in medium abiecit,

ibi simiæ, simul atq; nuces uidissent, oblitæ choreæ, id esse cœperunt, quod ante fuerant, ac repente è saltatricibus in simias redierunt. Contritisq; personis, dilaceratis uestibus, pro nucibus inter se depugnabant, non sine maximo spectatorum risu.

MORALE.

Admonet hæc fabula, fortunæ ornamenta non mutare hominis ingenium.

DE ASINO ET VIATORIBVS.

Duo quidã cum in desertis locis asinum quempiã forte fortuna nacti essent, contendere inter se cœperunt uter eorũ, uti suum domũ abduceret. Nam utriq; pariter à fortuna uidebatur obiectus. Hac interim de re illis inuicem altercantibus, asinus sese subduxit, ac neuter eo potitus est. MORALE.

Quidam à præsentibus commodis, quibus ob insciitiam uti nesciunt, excidunt.

DE PISCATORIBVS.

Piscatores aliquot iacto reti, testudines eduxerunt, eas cum essent inter sese partiti, neq; sufficerent omnibus comedendis, Mercurium forte accedentem inuitauerunt ad conuiuiũ. At is intelligens se neutiquam humanitatis gratia uocari, sed ut eos fastidito cibo subleuaret, recusauit, iussitq; ut ipsi suas testudines ederent quas cœpissent.

MORALE.

Nonnulli

☞ Nõnulli posteaq̃ inconsulte quippiã adorti sunt, alio rũ implorant auxiliũ, quos suo negotio admiscent.

DE ASINO.

APud Cumanos asinus quispiã pertæsus seruitutem, abrupto loro in syluam aufugerat. Illic forte repertum leonis exuuium, corpori applicabat suo, atq; ita pro leone se gerebat, homines pariter ac feras uoce caudáq; territans. Nam Cumani leonem ignorant. Ad hunc igitur modum regnabat aliquandiu personatus hic asinus, pro leone immani habitus ac formidatus. Donec hospes quispiam Cumas profectus, qui sæpenumero uiderat & leonem & asinum, atq; ob id non erat difficile dignoscere aurium prominentium inditio, neq; non alijs quibusdam coniecturis asinum esse deprehendit, ac probè fustigatum reduxit, dominoq; agnoscenti reddidit. Interim autem risum non mediocrem concitabat omnibus Cumanis asinus iam agnitus, quos dudũ creditus leo, metu propemodũ exanimauerat

MORALE.

☞ Haud facilè tegimus uitia, quæ à puero nobiscum adoleuerunt.

DE SCARABEO ET AQVILA.

SCarabeus aliquando spretus ab aquila, cœpit de uindicta quoquo pacto sumenda cogitare. Perue stigauit ubi nam aquila nidũ collocasset, adrepsit scarabeus. & oua simili dolo deiecit. Aquila cum se-

pius domicilium commutasset, neq; quicquam proficeret, Iouem patronum adijt, exponit calamitatem suam. Is iubet, ut suo in gremio ponat oua, uel istic in tuto futura. Et huc per uestis lacinias sinusq; prorepsit pertinax scarabeus, haud quaquā sentiente Ioue. Deinde ubi uidet oua cōmoueri Iuppiter, neq; satis animaduertit, un de territus rei nouitate, excusso gremio, in terrā deiecit

MORALE.

☞ Monet hæc fabula neminem quantumuis pusillum contemnendum esse.

DE SIMIIS ET PARDALE.

IN Mauritia simiarum ingens copia. Pardalis autē animal est natura simijs infestissimum, quas tamen uiribus assequi non potest, nimirum illis in summas arbores subuolantibus. His itaq; dolis in eas utitur. Sternit se supinam sub ramis, ac porrectis cruribus emori fingit sese. Gaudent eo spectaculo simiæ considentes in arbore, deinde ubi iam mortuam arbitrantur, unam aliquam emittunt exploraturam, num uerè mortuus sit hostis. Illa cautim ac pedetentim accedens, ubi nullum uitæ uidet argumentum, Pardale nimirum modis omnibus cadauer imitante, demum audet etiam conscendere. Quod simul ac reliquæ simiæ conspexerint, iam depositio omni metu descendunt, et pardalim omnia ferentē, circumsultant. Postremó conculcant insultātes, ludibrij causa, donec pardalis sentiens illas iam saltando defatigatas

gatas, de repẽte reuiuiscens, aliã dentibus, aliã unguibus corripit, dilaniat ac deuorat. MORALE.

☞ Hostem simulantem uires deficere, summopere fugiendum esse.

DE SATYRO ET RVSTICO ANIani Fabula. Erasmo quoq; interprete.

SAtyrus quidam cum uehementer algeret, hyberno gelu supra modum sæuiente, à rustico quodam inductus est in hospitium. Admiratus aũt, cur homo inflaret in manus ori admotas, rogauit cur ita faceret? Is respondit, ut frigidas manus halitus repore calefaceret. Deinde ubi exstructo foco, apposita mensa, in pultem feruidam rursum inflaret, magis etiam admiratus, scisitatus est, quid hoc sibi uellet, uti pultem inquit ille, nimium feruentem halitu refrigerem. Tum satyrus surgens à mensa, quid ego audio, inquit. Tune, eodem ex ore pariter & calidum & frigidum efflas? Valebis, nec enim mihi ratio est cum eiusmodi homine cõmune habere hospitium. MORALE.

☞ Notantur bilingues, qui eundem modo laudant, modo uituperant.

IS QVI EMENDANDIS IIS FABVlis præfectus fuit, sequentes apologos ex uarijs & his optimis autoribus collegit, ut à pueris quoq; legerentur, quibus nunquam est bene instructa atq; copiosa bibliotheca.

EX

EX SECVN-

DO NOCTIVM ATTICARVM

Gellij, Apologus Aesopi Phrygis memoratu non inutilis.



ESOPVS ille è Phrigia fabulator, haud immerito sapiens existimatus est, cum, quæ utilia monitu suasuq; erant, non seuerè, nõ imperiosè præcepit et œnsuit, ut Philosophis mos est, sed festiuos delectabilesq; apologos cõmentus, res salubriter ac prospicienter animaduersas, in mentes animosq; hominum cum audiendi quadam illecebra induit, uelut hæc eius fabula de auiculæ nidulo, lepidè atq; iucundè præmonet, spem, fiduciamq; rerum, quas efficere quis posit haud unquam in alio, sed in semetipso habendam. Auicula inquit, est parua, nomen est caßita, habitat nidulaturq; in segetibus, id ferme temporis ut appetit meßis, pullis iamiam plumantibus. Ea caßita in sementes forte cõcesserat tempestiuiores, propterea frumentibus flauescentibus, pulli etiam tunc inuolucres erant. Cum igitur ipsa iret cibum pullis quæsitũ, mõnet eos, ut si quid ibi nouæ rei fieret diceretur úe, animaduerterent. Idq; uti sibi ubi redisset, renunciarẽt.

Dominus

Dominus postea segetum illarum, filium adolescentem uocat, & uides ne, inquit, hæc enaturuisse, & manus iam postulare? Idcirco die crastino, ubi primum diluculabit, fac amicos adeas, et roges ut ueniant, operāq; mutuam dent, & messem hanc nobis adiuuent. Hæc ubi ille dixit, discessit. Atq; ubi rediit casita, pulli trepiduli circumstrepêre, orareq; matrem, ut statim iam properet, atq; alium in locum sese asportet, nam dominus, inquiunt, misit qui amicos rogaret, uti luce oriente ueniant & metant. Mater iubet eos à metu ociosos esse, Si enim dominus inquit messem ad amicos reiecit, crastino seges non metetur, neq; necesse est hodie uti uos auferam. Die igitur postero, mater in pabulum uolat, dominus quos rogauerat operitur. Sol feruit & fit nihil, & amici nulli erant. Tum ille rursum ad filium, amici isti, inquit, magnam in partem cessatores sunt, quin potius imus, et cognatos, affines, uicinosq; nostros oramus, ut adsint cras tempore ad metendum? Itidemq; hoc pulli paue facti matri nunciant. Mater hortatur, ut tum quoq; sine metu, ac sine cura sint, cognatos affinesq; nullos ferme esse tã obsequibiles ait, ut ad laborem capessendum nihil euocentur, & statim dicto obediant. Vos modo, inquit, aduertite, si modo quid denuo dicetur. Alia luce orta, auis in pastũ profecta est, cognati et affines operam, quam dare rogati sunt, supersedent, Ad postremum igitur dominus filio, ualeant, inquit, amici

cum

cum propinquis. Afferes prima luce falces duas, unam egomet mihi, & tu tibi capies alterã, & frumentũ nosmetipsi manibus nostris cras metemus. Id ubi ex pullis dixisse dominũ mater audiuit, tẽpus, inquit, est cedendi, & abeundi, fiet nũc dubio procul, quod futurũ dixit. In ipso enim tã uertitur, cuia res est, nõ in alio, unde petitur, Atq; ita Cassita nidũ migrauit, et seges à domino demessa est. Hæc quidẽ est Aesopi fabula, de amicorũ & propinquorũ leui et inani fiducia. Sed quid aliud sanctiores libri philosophorũ monent, quàm ut in nobis tantum ipsis nitamur. Alia autẽ omnia quæ extra nos, extraq; nostrũ animum sunt, neq; pro nostris, neq; pro nobis ducamus. Hunc Aesopi apologũ. Q. Ennius in Satyris, scitè admodũ & uenustè, uersibus quadratis cõposuit, quorum duo postremi isti sunt, quos habere cordi & memoriæ, operæpretium esse hercle puto.

Hoc erit tibi argumentum semper in promptu situm,
Ne quid expectes amicos, quod tu agere possis.

FABVLA EX LAMIA
Politiani desumpta.

AVes olim prope uniuersæ noctuam adierunt, rogaruntq; eam ne posthac in ædiũ cauernis nidificaret, sed in arborum potius ramis, atq; inter frondes, ibi enim uernari suauius. Quim eidem quercum modo enatam, pusillam, tenellamq; adhuc ostendebant, in qua scilicet molliter (ut aiebant) & sidere ipsa aliquando

quando noctua, & suum sibi construere nidum posset, At illa facturam se negauit. Quin uicissim consilium dedit ijs, ne arbustulæ illi se crederent. Laturam enim quandoq; esse uiscum, pestem uidelicet auium. Contemsêre illæ (ut sunt leue genus, et uolaticũ) sapiẽtis unius noctuæ consilium. Iam quercus adoleuerat, iam patula, iã frondosa erat, Ecce ibi aues illæ omnes gregatim ramis inuolitant, lasciuiunt, subsultant, colludunt, cantillant. Interea quercus ea uiscum protulerat, atq; id homines animaduerterant. Implicitæ ergo repentè ibi omnes pariter misellæ, ac frustra eas sera pœnitentia subijt, quód salubre illud consiliũ spreuissent. Atq; hoc esse aiũt, cur nunc aues omnes, ubi ubi noctuã uiderint, frequentes eã quasi salutant, deducũt, sectantur, circũsidunt, circũuolitant. Etenim cõsilij illius memores, admirantur eã nunc ut sapientẽ, stipantq; densa caterua, ut uidelicet ab ea sapere aliquãdo discant. Sed opinor frustra, imo uero etiam interdũ cum magno ipsarũ malo. Nã ueteres illæ noctuæ re uera sapiẽtes erant, nũc multæ noctuæ sunt, quæ noctuarũ quidem plumas habent et oculos & rostrũ, sapientiam uero non habent.

MORALE.

☞ Bene monentis consilia ne spernas, hæc fabula docet.

APOLOGVS EX SECVNDO LIBRO Petri Criniti, de honesta disciplina desumptus.

Sata

SAta est olim cucurbita iuxta arborem pinum, quæ grandis admodum & ramis patulis extabat, Cucurbita uero cum multis pluuijs atq; cœli temperamento creuisset, lasciuire incipit, & ramulos audacius porrigere, iam serpebat in pinum, iam surgere, iam ramos & frondes inuoluere audebat, amplior a folia, candentes flores, prægrãdia poma, & uirescentia ostẽtans. Itaq; tanto fastu atq; insolentia intumuit, ut pinum arborem ausa sit aggredi, & uides, inquit, ut te supero amplis folijs, ut uirore præsto, & iamiam ad cacumen prosurgo? Tum pinus quæ senili prudentia, & robore pollebat, nihil mirata est cucurbitæ insolentis audaciam, sed ita ad cã respondit. Ego hic multas hyemes calores, æstus, uariasq; calamitates peruici, & adhuc integra consisto. Tu ad primos rigores minus audaciæ habebis, cũ & folia concident, & uiror omnis abierit.

MORALE.

☞ Secundis rebus non esse superbiendum.

FABVLA DE CORVO ET LVPSI

Ex Ioanne Anto. Campano desumpta.

COruus lupos per ardua montium tuga comitatur partem sibi prædæ fieri postulat, qui eos secutus nullo tempore destitisset, sociusq; fuisset. Repulsus dc inde à lupis, tanquam non eos sed prædam cibumq; secutus, nec minus luporum si occiderentur quã cæterorum animalium exta fuisset uoraturus.

Morale

MORALE.

☞ Non quid agamus semper inspiciendum est, sed quo animo cum agimus.

Altera de partu terræ, ex eodem.

TVrgida olim facta tellus, & mirum in modum tumida, magnum aliquod paritura uidebatur. Accurrunt finitimi, stupent agricolæ, terræ partum inter spem metumq; expectant, alij Typhœa illum Centimanum, alij montes erupturos putabant. Aperitur terra, prodit mus, & quod miraculo fore omnibus arbitrabatur, in risum atq; iocum conuerterunt.

MORALE.

☞ Non semper credendum promissis magnificis.

APOLOGVS DE MEMBRIS ET uentre, ex Plinio desumptus.

HVmani artus cum uentrem otiosum uiderent, ab eo discordarunt, & suum illi ministerium negauerunt. Cum eo pacto & ipsi quoq; deficerent, intellexerunt uentrem cibos acceptos per omnia membra diuidere, & cum eo in gratiam redierunt.

MORALE.

☞ Magnæ res discordia pereunt, concordia ualent.

DE ARIONE ET DELPHINO, FAbula elegãtissima ex lib. 16. Gellij.

VEtus & nobilis Arion cantator fidibus fuit. Is loco & oppido Methymnæus, terra, atq; insula

omni Lesbius fuit. Eum Arionem rex Corinthi Periander amicum amatumq; habuit artis gratia. Is inde à rege proficiscitur, terras inclytas Siciliam atq; Italiam uisere. Vbi cò uenit, aures q; omnium mentes q; in utrius q; terræ urbibus demulsit, in quæstibus istic & uoluptatibus amoribus q; hominum fuit. Is tum postea grandi pecunia & re bona multa copiosus, Corinthum insti uit redire. Nautem igitur & nautas, ut notiores amiciores q; sibi Chorinthios delegit, sed eo Corinthios homine accepto, nauiq; in altum profecta, prædæ, pecuniæq; cupidos, cœpisse consilium de necando Arione. Tum illum ibi pernicie intellecta, pecuniam cæteraq; sua ut haberent dedisse, uitam modo sibi ut parcerent orauisse. Nautas precum eius harum commisertos esse illatenus, ut ei nccem afferre per uim suis manibus temperarent. Sed imperauisse, ut iam statim coram desiliret præceps in mare. Homo ibi territus spe omni uitæ perdita, id unum postea orauit, ut priusquam mortem oppeteret induere permitterent sua sibi indumenta, & fides capere, & canere carmen casus illius sui consolabile. Feros & immanes nauitas prolubiū tamen audiendi subijt, quod orauerat, impetrat, atq; ibi mox de more cinctus, amictus, ornatus, stans q; in summæ puppis foro, carmen quod Orthium dicitur, uoce sublatißimæ cantauit, Ad postrema cantus, cum fidibus ornatuq; omni, sicut stabat canebatq;, eiecit sese procul in profundum.

dum. Nautæ haudquaquam dubitantes, quin periſſet, curſum quem facere cœperant, tenuerunt. Sed nouum, & mirum, & pium facinus contigit. Delphinum repente inter undas adnauiſſe, & dorſo ſuper fluctus edito uectauiſſe. Incolumiq; eum corpore & ornatu, Tænarum in terram Laconicam deuexiſſe, tunc Arionem prorſus ex eo loco Corinthum petiuiſſe. Talemq; Periandro regi, qualis delphino uectus fuerat, ſeſe obtuliſſe, eiq; rem, ſicuti acciderat, narrauiſſe, Regem iſtæc parum credidiſſe, Arionem, quaſi falleret, cuſtodiri iuſſiſſe. Nautas requiſitos, ablegato Arione, diſſimulanter interrogaſſe, ecquid audiſſent in ijs locis, unde ueniſſent, ſuper Arionem? Eos dixiſſe, hominẽ cum inde irent, in terra Italia fuiſſe, eum illic bene agitare, & ſtudijs delectationibuſq; urbium florere, atq; in gratia pecuniaq; magna fortunatum eſſe. Tum inter hæc eorum uerba, Arionem cum fidibus & indumentis, cum quibus ſe in ſalum eiaculauerat, extitiſſe. Nautas ſtupefactos, conuictoſq; ire inficias non quiſſe.

MORALE.

☞ Documento eſt hæc fabula, plus aliquando inueniri in brutis animalibus clementiæ, quàm in ijs hominibus, qui præter opes nihil habent penſi, præter figuram nihil humanitatis.

NICOLAI GERBELLII PHORCENSIS

Apologus lepidissimus

DE ARANEA ET PODAGRA.



Aranea paululũ à texendo opere quietior, animi relaxandi gratia commodũ deambulabat. Huic se obuiã præbuit podagra, tametsi passibus ambiguis admodũ ægra illã assequeretur, Eius dicitur ea re utcũq; emensso, nõ longè aberant ab oppidulo, cui regionis eius incolæ Tichæ nomen indiderant. Vtriq; consilium fuit, conditionis suæ hospitem perquisitum ire. Aranea non maximopere data opera, in opulenti cuiusdam ciuis ædes diuertit. Inibi quaquauersum telas suas præpandebat, prætendebatq; retia, aderant illico, nescio qui trygodæmones, qui textrinam illius demoliebãtur. Momentaneũ itaq; erat ipsius, quo etiã cunq; se uerteret, ædificiũ. Nusq; enim scopariorũ oculatas scopas poterat effugere. Misera planè quæ in tãta rerũ omniũ affluẽtia, sola egebat perturbabaturq;. Podagra uero mẽdicabuli instar uix tandẽ ægestosi cuiusdiã tuguriolũ impetrabat. In id loci cũ decubuisset, nihil nõ expiebatur miseriarũ. Apponebatur cœnaturiẽti panis cibarius

barius, aridis uix faucibus hianti hydropoteriũ. Iamq; diurno itinere lassescenti torus ligneus, nullis frondibus, nullo gramine, sed prætenuibus paleis insternebatur. Atqui dicere non est huius instituti, quam conuenerint malè mẽbris mollibus, cuticulæ (ut ita dixerim) holoserícæ, stragula tam dura, tam barbari uilli. Oriẽte igitur uix tandẽ illo Augusto sydere, quod exaudit, quod intuetur omnia, cõuenère rursum aranea simul et podagra. Prior aranea præteritæ noctis molestias, tot locorum cõmutationes denarrat, nũc heri exprobrãs mundicię, nunc nimiã scopariorum obseruantiã. Podagra cõtra de hospitis sui ægestate cõplura comminiscitur. Nec ocium habet admonstrare araneæ liuidas uibices, quas adamãtina fulcra tenellæ cuticulæ impresserant. Consiliũ inceunt, araneã deinceps pauperũ tuguria, podagram uero diuitũ aulas debere subingredi, in hanc aranea pedibus, podagra animis uadit sententiã. Verumtamẽ tenebris iãiam increscentibus urbi cuipiã sese approximã, Podagra instituti nõ immemor, pedetentim se in nummosi cuiusdam domũ illatebrauit. Qua cõmodum ab hero conspecta, Dij boni qua beneuolentia, qua humanitate, quibus nominibus excipitur. Supponũtur, substruunturq; olorinæ culcitræ, toralia perdicum subalaribus plumis referta. taceo uinum dulce, uinum nigrum, Lesbium, Surrentinum, Taceo ficedulas, phasianos, atq; eas auicolas, quæ binis superbiunt cordibus. In

summa nihil delitiarum, nihil uoluptatum non exhauriebat. Aranea pauperis casam ingressa, telas orditur quaqua uersum parietes interpatēt, retia suspēdit. Orbiculari operi manibus pedibusq; incūbit, reficit abrupta, perficit intercepta, et ubi dicā breuiter, uacua dominatur in aula. Nullas insidias, nullius formidabat insultus. Imo uero etiā iam scopis superior omnibus. Non multo post, podagra araneā conuenit, delitias suas, fœlicitatē, fortunas, ampliter exornat. Aranea miris laudibus extollit imperiū suum, ædificādi texendiq; libertatē. Placuit tandē hæc utriusq; sententia. Quorsumcunq; proficiscerētur, podagrā in diuitis domos, araneā in paperū tuguria deberc diuertere. MORALE.

☞ *Apologus hic tametsi ad usus uarios accommodari queat, id tamē in primis declarat, aliū alio loco fortunatiorē esse. Præterea morborū domicilium esse diuitū aulas. Ad ultimū, nusquam libertatē maiorem q̄ ubi diuitiarum minus.*

FABVLARVM AESOPI FINIS.

LAVREN

TII ABSTEMII VIRI ELEGANTISsimi & amœni ingenij fabulæ elegantißimæ, nuper per clariſsimum poëtam & philoſophum Gargetium emaculatæ.

Domici-

DOMICIVS

PALLADIVS SOVRANVS

Pollioni Vadio, Sacerdoti uenerando, S. P. D.

IAM PRIDEM TVO SERMONI de Abſtemio frequenti literatorũ conſeſſu, Pollio uenerande, non inuitus interfui. Cum minimè prætextatis (ut ita dicã) laudibus hominem celebrares, adeoq; in arcem euaſiſti, ut nemo ſane (mea ſententia) eum accumulatius laudare potuerit. Mox inde ſecedens diu hæc omnia mecum animo uolutabã, unde tanta cõflueret laudationis abundantia, unde tanta non uulgaris obſeruatio emanaret, unde deniq; amicitia adeo pfecta exoriretur. Proculdubio non aliunde mecum tandem collegi, quàm ex præclaro eius uirtutis nomine proficiſci, cuius quidẽ uis magna & præpotens eſt. Quamobrem non poſſum profecto non ſuſpicere ingenium tuum amabile, tuumq; animum uirtutibus fultum, diligentius non admirari. Qui neq; ambitione, neq; inuidia, neq; aliquo alio liuore deuincitur. Siquidem omnes quas meretur Abſtemius noſter laudes, non tranſis ſilentio, imo ad alias ipſas cumulandas, ob eius incredibilem eloquentiam, ſingularemq; doctrinam ultro accedis, idq; haud abre, cum

pater omnium elegantiarum, atq; idem leporum omnium merito sit & habeatur. Et ut hæc clariora luce, non officij gratia, aut temerè dicantur quotidie, quemadmodum aliqua eius laborum monumenta existere uidemus, quæ undiq; perfecta uerborum concinnitate, perspicacissimisq; sententijs scatent. Nam modo dicam de hoc apologorum libello nuper impresso, in quo perspicua ac insignis eius ingenij amœnitas, non absq; laude maxima redundare uidetur. Quare non uereor, ut is remisso cuiuscunq; animo pessum eat. Abstemioq; (absit inuidia uerbo) omnium quàm iucundissimo detrahatur. Cui & te & me ob tãti nominis celebritatem nulla unq̃ in re defuturos esse liquido constabit. VALE.

LAVREN

TIVS ABSTEMIVS OCTAuiano Vbaldino Comiti Mercatelli, S. P. D.

AEDITVRVS HVNC APOLOgorum libellum, quem de numero fabularũ hecathomythium nuncupaui, multũ diuq; dubitaui, Octauiane princeps inclyte, tuo ne eum nomini potissimum dedicarem. Nam cum tuam in me non sine plurimis

rimis beneficijs perſpicerem beneuolentiam, non aliquid me rum ingiliarum tibi deuouere, ingratiſſimi hominis eſſe uidebatur. Rurſus cum tuorum in me officiorum numerum, diuinaſq; uirtutes tuas mecum ipſe reuoluerem, indignum tantis meritis tantaq; ſapientia munuſculum hoc eſſe cernebam. Hanc tandem dubitationem meam amouit humanitas & prudentia tua, qua non tam res tibi dono datas, quam offerentium uoluntatem ſoles inſpicere. Addidit quoq; mihi animum, Guidus Vbaldus clariſſimus dux & princeps meus omni laude maior, qui opuſculum meum de nonnullis locis obſcuris ſuperiori anno ei dedicatum uultu ita placido & ſerena fronte ſuſcepit, ut ſperare merito poſſem, hoc tibi quale cunq; fore non ingratum. Non mediocriter etiam me incitarunt Georgius Emus, pro Venetis hic agens legatus, non ſolum patricia nobilitate, uerumetiam bonarũ artium ſtudijs clarus, & Carolus Verardus Cæſenas Archidiaconus Cæſenæ, et Alexandri Pontificis Maximi Cubicularius, uir omni literarum genere præſtans, nec non Renatus Melioratus, & Robertus Vrſus Arimenſes Iuriſconſulti clariſſimi, nec minus qui humanitatis uacant ſtudijs, eruditi. Hi enim aliiq; complures optimi harum rerum cenſores, cum hunc libellum legiſſent, multis me uerbis ſunt ad æditionem cohortati. Non putaui igitur tam humano principi hoc munus ingratum futurum, quod tot eruditis uiris,

ante placuisse cognoueram. Accipe igitur hoc quicquid est libelli ab Abstemio tuo, cuius mentem animumq; si penitus posses inspicere, in hac tenui re magnum munus tibi iudicares oblatum. Ne quis autem inutilem & inanem hunc meum scribendi laborem existimaret, præfatiunculam quandam proponendam censui, qua intelligeretur doctos etiam & claros uiros in magnis rebus huiusmodi fabulis non uoluptatis tantum, uerumetiam utilitatis gratia delectatos. Sedulo dedimus operam, ut seria potius quàm iocos saperet, unde ridiculas multas, quæ inter componendum sese mihi offerebant, consulto præterij, quia nimis lasciuæ, & tanti principis grauamine mihi uidebantur indignæ. Non tamen ita agrestis esse uolui, quin eas aliqua urbanitate aspergerem, maxime ad principem scribens, cum principes curarũ mole pressi, soleant interdum recreandi animi gratia, iocos appetere. VALE.

EIVSDEM ABSTEMII
Præmium.

COgitanti mihi uaria scriptorum genera, qui, ut humanæ uitæ prodessent, cogitationes suas literarũ mandauêre memoriæ, qui apologos scripsêre, non postremo loco digni esse uidentur, Non enim modo mortalium animos incredibili quadam afficiunt uoluptate, uerumetiam ad res honestas, utilesq; peragendas suis fabellis, magis quàm Philosophi suis præceptis alliciunt.

ciunt. Nam ita in legentium animos quadam iucunditate penetrant, & quibusdam similitudinibus, quæ maximè ad commouendos animos ualent, quid uitandum faciendumq; sit ostendunt, ut omnes etiam inuiti, illis assentire cogantur. Sensus enim audiendi fastidiosissimus, res etiam utiles honestasq; haud facilè admittit, ni fuerint aliqua urbanitate conditæ. Testis quidam orator Atheniensis, qui ad Athenienses uerba faciens, cũ eos minus attentos uideret, rogauit, ut saltem fabulam audire dignarentur, quo impetrato, Ceres, inquit, & hirundo, & anguilla simul iter facientes, ad quendam fluuium perucnerunt, Hirundo quidem superuolauit, Anguilla autem amnem tranauit, quod cum dixisset obticuit, interrogantibus autem illis, quid Ceres egisset? Vobis, inquit, Dea uestra succensuit, qui eos, qui uobis utilia suadent, audire nolentes, tam attentis auribus confabulantes auditis. Quantam uim apologi habeant ad animos commouendos, cum multis possem, tribus ero contentus exemplis ostendere. Samijs rectorem populi morti addicere uolentibus, Aesopus hac fabella disuasit sic dicens. Vulpem quandam fluuiũ transeuntem in lacunam fuisse propulsam, unde cum exire non posset tenaci limo retenta, muscarũ affligabatur aculeis, quod herinacius conspicatus, misericordia motus est, interrogauitq; an uellet ut ab ea muscas abigeret. At illa abnuit dicens, hæ meo sanguine iam plenæ, paruam mihi possunt

possunt inferre molestiam, si autem has abegeris, aliæ famelicæ superuenient, quæ quicquid mihi superest sanguinis, exhaurient. Ita ô uiri Samij uobis eueniet, si enim hunc rectorem uestrum iam locupletem occideritis, alios eligatis necesse est, qui dum se opibus uolent implere, quicquid hic uobis reliquerit, cripiet. His uerbis moti Samij, ab incepto destitere. Hac ratione adductus Tyberius Cæsar, diurnos magistratus dabat, unde (ut refert Iosephus) sub eo, per uiginti annorum spacia, per duos tantum præsides, Gratum scilicet & Pilatum est gubernata Iudæa. Non parcit populis regnum breue, ut inquit Statius. Himerenses Phalaridem Agrigentinorum tyrannum ducem exercitus sui eligere uolentes, Stesichorus poëta hoc apologo eos deterruit. Equus, dicens, solus pascebat in prato, aduenientе autem ceruo, & pascua corrumpente, consuluit hominem, qua posset illum arte punire. Cui homo, si frenum, inquit, acceperis, & me armatū, dorsum tuum ascendere permiseris. Cum huic consilio esset obsecutus, ceruum quidem hominis auxilio uictor abegit. Sed non amplius hominem dorso, non frenum depulit ore. Ita, inquit Stesichorus, Viri Himerenses uobis eueniet, si Phalaridem ducem efficietis. Hostes quidem uestros punietis, sed huic tyranno perpetuo seruietis. Quibus uerbis territi Himerenses, huiusmodi ducis eligendi consilium deposuêre. Cum populus Romanus à senatu

secessis-

seceßiſſet, quod tributũ & militiam tolleraret, nec ullo pacto reduci poſſet, nõne Agrippa Menenius eum hoc apologo reuocauit? Olim, inquiũt, Quirites, humani artus uentrẽ ocioſum et deſidẽ intuentes, ab eo diſcordarũt, nec amplius illi cibũ miniſtrare decreuerũt, ſed cũ ipſi quoq; alimẽta illi denegando, quæ per omnia mẽbra deferuntur, deficerent, cũ eo in gratiã redierunt. Eodẽ inquit modo, Senatus & populus, quaſi uẽter et mẽbra, alterũ alterius auxilio indigẽt, & ut diſcordia intercũt, ita concordia ualent. Qua fabula populus reuocatus, cũ ſenatu in gratiã redijt. Non immerito igitur, non ſolum Græci & Latini poẽtæ, ut Heſiodus et Horatius, huiuſmodi fabulas ſuis operibus inſeruerũt, uerumetiã maximi & celeberrimi philoſophi, ut Plato, Ariſtoteles, Plutarchus & multi alij eas plurimum commendauerunt, & ad inſtitutionem moralis & ciuilis uitæ non minimum facere arbitrati ſunt. Quocirca Omnibonus Leonicenus, & Laurentius Valla uiri ætatis noſtræ doctiſſimi, paucos Aeſopi apologos è græco in latinum uertere, ſibi laudi, cæteris uero uoluptati, & utilitati fore non dubitarunt. Et iure quidem, leguntur enim, & in doctiſſimorum uirorum manibus quotidie uerſantur.

Nõ uideo igitur cur has cõponendo fabulas laude fraudari debeã, quam cæteri Latini ex translatione conſecuti ſunt, niſi adeo inuidi ſumus, ut Latinis licere non putemus, quod Græcis eſt cũ ſumma omniũ laude conceſſum.

De

DE MVRE IN CISTA NATO.
FABVLA I.



VS IN CISTA NAtus omnem ferè ibi duxerat ætatem nucibus pastus, quæ in ea seruari solebant. Dum autem circa oras cistæ ludens decidisset, quæreretq; ascensum, reperit epulas lautißimè paratas, quas cum gustare cœpisset, quàm stultus, inquit hactenus fui, qui in toto terrarũ orbe nihil melius cistula mea esse credebã. Ecce q̃ suauioribus hic uescor cibis. ☞ Hæc fabula indicat, non ita patriam diligendã, si ignobilis sit, ut alia non adeamus loca, cum alibi beatiores esse posßimus.

DE RVSTICO IMPETRANTE VT triticũ absq; aristis nasceretur. II.

IMpetrauerat a Cerere rusticus quidam, ut triticum absq; aristis nasceretur, ne metentium trituranti umq; manus læderet, quod ubi inaruit, à minutis auibus depastũ est. Tum rusticus, quàm digna, inquit, patior, qui paruæ comoditatis causa, emolumenta quàm maxima perdidi. ☞ Fabula indicat, parua incommoda maiori utilitate pensanda.

DE ACCIPITRE COLVMBAM insequente. III.

Cum ac-

CVm accipiter columbam præcipiti insequeretur uolatu, uillam quandam ingressus, à rustico captus est, quem blandè, ut se dimitteret obsecrabat, non enim te læsi dicens. Cui rusticus, nec hæc, respondit te læserat. ☞ Fabula indicat, merito puniri, qui innocentes lædere conãtur.

DE ARANEA ET HIRVNDINE. IIII.

ARanea in hirundinem excandescens, quæ muscas qui suus est cibus, capiebat, retia in foribus per quas uolitare solebat, ut eam caperet, suspenderat. Hirundo uero aduolans, retia cum textrice per aêra portabat. Tunc aranea in aêre pendens, & se iamiam perituram intelligens. Quàm iustè hæc patior dicebat, quæ minima uolatilia magno labore uix capiens, credidi me tam magnas aues posse comprehendere. ☞ Hac admonemur fabula, ne uiribus maiora aggrediamur.

DE RVSTICO AMNEM TRANSITURO. V.

RVsticus torrentem transiturus, qui forte imbribus excreuerat, quærebat uadum. Et cum primũ eam fluminis partem tentasset, quæ quietior, placidiorq; uidebatur, reperit eam altiorem, quàm animo erat opinatus. Rursus ibi breuiorem, tutioremq; adinuenit, ubi maiori aquarum strepitu fluuius decurrebat. Tunc secum. Quàm tutius, inquit, clamosis aquis, quàm quie-

quietis, & silentibus uitam nostram credere possumus. ☞ Hac admonemur fabula, ut minus uerbosos & mi- [illegible] quàm quietos extimescamus.

DE COLVMBA ET PICA. VI

COlumba interrogata à pica, quid eam induceret, ut in eodem semper loco nidificaret, cũ eius pulli inde sibi semper surriperentur, simplicitas, respondit. ☞ Hæc indicat fabula, facile esse uiros probos sæpe decipi.

DE CVCVLO ET ACCIPITRE. VII.

IRrisus ab accipitre cuculus, quod cum sibi & corpore par, & colore non absimilis esset, præ angustia animi potius uermibus terrenis, quàm suauibus aliarum auium carnibus uesceretur, uidit paucis post diebus accipitrem à rustico, cuius columbas infectabatur, captum, ad metum cæterorum ex alta turre pendere. Cui cuculus. Quàm melius tibi, inquit, amice fuisset, uermes uenari, quàm alienas aues impetere.

☞ Hæc fabula indicat, eorum uitam tutiorem esse, & magis probandam, qui suis rebus sine periculo contenti sunt, quàm illorum, qui aliena appetentes, adeunt magna uitæ discrimina.

DE ASINO ET VITVLO. VIII.

ASinus & uitulus in eodem pascentes prato, sonitu campanæ hostilẽ exercitum aduentare præsenserant. Tũ uitulus, fugiamus hinc ô sodalis, inquit,

inquit ne hostes nos captiuos abducant. Cui asinus, fuge tu, inquit, quem hostes occidere & esse consueuerunt, asini nihil interest, cui ibidem eadem ferendi oneris est proposita conditio. ☞ Hæc fabula seruos admonet, ne dominos magnopere mutare formident, modo prioribus deteriores futuri non sint.

DE VVLPE & mulieribus gallinam edentibus. IX.

VVlpes iuxta uillam quandam transiens, conspexit cateruam mulierum plurimas gallinas opiparе assatas, alto silentio comedentes, ad quas conuersa. Qui clamores, inquit, & canum latratus contra me essent, si ego facerem, quod uos facitis? Cui respondens quædam anus, Pessima animalium, inquit, nos quæ nostra sunt comedimus, tu uero aliena furaris. ☞ Hæc fabula nos admonet, ne putemus nobis in aliena licere, quod proprijs dominis licet.

DE CAPONIBVS pinguibus & macro. X.

VIr quidam complures capones in eodem ornithoboſco incluſos, largo nutricauerat cibo, qui pingues effecti sunt omnes, præter unum, quem ut macillentum irridebant fratres. Dominus nobiles hospites lauto & sumptuoso accepturus conuiuio, imperat coco, ut ex his interimat, coquatq; quos pinguiores inuenerit. Hoc audientes corpolenti, seſe afflictabant dicentes, quanto præstitisset nos macilentos fuisse. ☞ Hæc fabula in pauperum solamen cõficta est quo-

rum uita tutior est, quàm diuitum.

DE TRABE ET BOBVS EAM trahentibus. XI.

TRabs ulmea de bobus conquerebatur dicens, Ingrati, ego multo tempore meis uos frõdibus alui, uos uero me nutricem uestram per saxa & luta trahitis. Cui boues, gemitus suspiriaq; nostra & stimulus quo pungimur, te docere possunt, quod te trahamus inuiti. Ignoat trabs.

☞ Hæc fabula nos docet, ne in eos excandescamus, qui non sua sponte nos lædunt.

DE ARBORIBVS PVLCHRIS & deformi. XII.

ARbores cõplures in eodem creuerãt loco, proceræ, rectæ, enodesq;, præter unam humilem, paruam, nodosamq;, quam ut deformem pusillamq;, cæteræ ludibrio habere solitæ erant. Aedificaturus domũ loci dominus, iubet omnes excidi, præter eam quæ breuitate & deformitate sua ædificium indecorum redditura uidebatur. Cæteris excisis, deformis hæc secum dicebat. De te non amplius quærar natura, quòd me turpem genueris, cum formosis tam magna uideam imminere discrimina.

☞ Hæc fabula nos admonet, ne doleamus nos natos esse deformes, cum multis formositas sæpe nocuerit.

De

DE CYGNO IN MORTE CANENTE repræhenſo à ciconia. XIII.

Cygnus moriens interrogabatur à ciconia, cur in morte, quam cætera animalia adeo exhorrent, multo ſuauiores quam in omni uita emitteret ſonos, cum potius mœſtus eſſe deberet. Cui cygnus, quia inquit, neq; cibi quærendi cura amplius cruciabor, neq; aucupum laqueos extimeſcam.

☞ Hæc fabula nos admonet, ne mortem formidemus qua omnes uitæ præſentis miſeriæ præciduntur.

DE MVLIERE VIRVM MORIENTEM flente, & patre eam conſolante. XIIII.

Mvlierem adhuc iuuenem, cuius uir animã agebat, pater conſolabatur dicens, Ne te afflictes tantopere filia, alium enim uirum tibi inueni, iſto longè formoſiorem, qui prioris deſiderium facilè mitigabit. At mulier doloris impatiens, ut quæ maritũ ardenti amore proſequebatur, non modo uerba parentis non admitttebat, ſed intempeſtiuam alterius mariti mentionem accuſabat. At ubi maritum defunctum uidet, inter lachrymas & luctus parentem interrogat, an adſit ibi iuuenis ille, quẽ ſibi in uirum dare uelle ſe dixerat?

☞ Fabula indicat, quàm cito defunctorum maritorũ amor ex uxorum animo excidere ſoleat.

DE MVLIERE AMATORIS DISCEſſum flente. XV.

MVlier impudica amatorem suum abeuntem, quem omnibus ferè rebus spoliauerat, multis lachrymis prosequebatur. Interrogante autem eam uicina, cur ita inconsolabiliter fleret. Non discessum eius, inquit, sed pallium, quod ei reliqui, fleo. ☞ Fabula indicat, non amatores, sed eorum bona à meretricibus amari.

DE MVSCA QVAE QVADRIGIS INsidens, puluerem se excitasse dicebat. XVI.

QVadrigæ in stadio currebant quibus musca insidebat. Maximo autem puluere tum equorum pedum pulsu, tum rotarum uolutatione exorto, dicebat musca, quàm magnam uim puluueris excitaui. ☞ Hæc fabula ad eos spectat, qui cum ignaui sint, alienã tamen gloriam suis magnificis uerbis in se transferre conantur.

DE ANGVILLA CONQVERENTE quòd magis quàm serpens infestaretur. XVII.

ANguilla interrogabat serpentem, quare cũ similes essent atq; cognati, homines tamen se potius, quàm illũ insequerentur. Cui serpens, quia rarus, inquit, me lædit impune. ☞ Fabula indicat, minus lædi solere, qui sese ulciscantur.

DE ASINO SIMIA ET TALPA. XVIII.

COnquerenti asino, quód cornibus careret, Simiæ uerò quòd cauda deesset, taccte, inquit talpa, cũ me

me oculis captã esse uideatis. ☞ *Hæc fabula ad eos pertinet, qui non sunt sua sorte cõtenti, qui si aliorũ infortunia considerarẽt, æquiore animo tolerarent sua.*

DE NAVTIS SANCTORVM AVxilium implorantibus. XIX.

NAuta quidam in mari subita & atra tempestate deprehensus, cæteris eius socijs diuersorum auxilium implorantibus, nescitis, inquit, quid petatis. Ante enim quàm sancti isti ad Deum pro nostra liberatione se conferant, hac imminenti procella obruemur. Ad Deum igitur confugiendum censeo, qui absq; alterius adminiculo, à tantis malis nos poterit liberare. Inuocato igitur Dei omnipotentis auxilio, illico procella cessauit. ☞ *Fabula indicat ubi potentioris auxilium haberi potest, ad imbecilliores non confugiendum.*

DE PISCIBVS E SARTAGINE IN prunas desilientibus. XX.

PIsces adhuc uiui in sartagine feruenti oleo coquebantur, quorum unus, fugiamus hinc fratres, inquit, ne pereamus. Tunc omnes pariter è sartagine exilientes, in ardentes prunas deciderunt. Maiore igitur dolore affecti, damnabant consilium quod cœperant, dicentes. Quanto atrociori nunc morte perimus. ☞ *Hæc nos admonet fabula, ut ita præsentia uitemus pericula, ne incidamus in grauiora.*

DE QVADRVPEDIBVS SOCIETATEM ADuersus aues cum piscibus ineuntibus. XXI

QVadrupedes cum bellum sibi ab auibus esset indictum, cum piscibus fœdus inierunt, ut eorum auxilio se ab auium furore tuerẽtur. Cum autem expectata optarent auxilia, pisces negant per terram ad eos accedere posse.

☞ Hæc nos admonet fabula, ne eos nobis socios faciamus, qui cum opus sit, nobis adesse non possint.

DE LEGATO AVARO TVBICINES decipiente. XXII.

QVidam auarus pro patria legatus, in aliam urbem profectus erat. Cui tubicines præsto affuerunt, ut illius aures tubarum clangore, loculos autem suos pecunia implerẽt. Quibus ille renunciari iubet, non esse nunc locum cantibus, se in summo luctu & mœrore constitutum, matrem enim suam obijsse. Tubicines autẽ spe frustrati, & mœsti abeunt. Amicus quidam legati audiens luctum, ad eum uisendum consolandumq; accedit, interrogatq; quàm diu mater eius obijsset. Quadraginta iam anni sunt, inquit, Tunc amicus intellecta legati strophα, in risum effusus est.

☞ Hæc fabula ad auaros facit, qui omni arte student conseruare pecuniam.

DE VIRO QVI AD CARDINALEM nuper creatum, gratulandi gratia accessit XXIII.

Vir

VIr quidam facetus admodum & urbanus, audiens amicum suum ac cardinalatus dignitatem assumptum, ad eum gratulandi gratia accessit. Qui honore tumidus amicũ uetterem agnoscere dissimulans, quisnam esset interrogabat. Cui ille, ut erat ad iocos promptus. Miseresco, inquit, tibi cæterisq; huiusmodi honores perueniant. Quàm primũ enim nitates eiusmodi estis assecuti, uisum, auditum, & teros sensus ita amittitis, ut pristinos amicos amplius no cognoscatis. ☞ Hæc fabula eos notat, qui in altum sublati, ueteres despiciunt amicitias.

DE IVVENE SENIS curuitatẽ irridente. XXIIII

IVuenis quidam conspicatus senem in arcus tensissimi litudinem curuum, interrogauit an sibi arcum uellet uendere? Cui ille, Ecquid, inquit, est tibi opus pecuniam amittere. Si enim ad meam peruenieris ætatem, absq; pecunia arcum tibi natura concedet.

☞ Hæc fabula indicat, minimè irridenda uitia senilis ætatis, quam nemo uiuendo effugere potest.

DE SENE puellam in uxorem accipiente. XXV

VIr quidam imprudens exacto septuagesimo uitæ anno, puellam duxerat in uxorem, qui ad id tempus in cœlibatu permansisset. Cui cum debitum soluere nõ posset, dicere solebat. Quàm malè uitã meam disposui. Iuueni enim mihi uxor deerat, nũc autẽ senex desũ uxori. ☞ Hæc fabula innuit, oĩa suo tpe pagẽda.

DE AQVILA ET PICA. XXVI.

Pica aquilam rogabat, ut se inter suos familiares & domesticos acciperet, quando id mereretur cũ corporis pulchritudine, tum ad mandata peragenda linguæ uolubilitate. Cui aquila, hoc facerem, respondit, ni uererer ne quæ intra tegulam fiunt, tua loquacitate cũcta efferres. ☞ Hæc fabula monet linguaces & garrulos non habendos.

DE TVRDO AMICITIAM CVM HIrundine ineunte. XXVII.

GLoriabatur turdus se amicitiam contraxisse cum hirundine. Cui mater, stultus es filij inquit, si credis cum ea te posse conuiuere, cũ uterq; uestrum diuersa soleat appetere loca, tu enim frigidis, illa tepidis delectatur locis. ☞ Hac monemur fabula, ne eos nobis faciamus amicos, quorũ uita à nostra dissentit.

DE RVSTICO ET MVRE. XXVIII.

RVsticus quidam erat admodum pauper, sed adeo facetus, ut ne calamitatis quidem tempore natiui leporis obliuisceretur. Is cum uillam suam casu, igne eiecto, ita ardentem uideret, ut aliquo modo ignẽ extinguere posse diffideret, mœstus spectabat incendium, Interim cernit murem quendam qui uilla egressus, periculum quàm ocyßime fugiebat. Oblitus damnorum rusticus, cucurrit & murem corripiens, illum in medium iecit incendium, dicens, Ingratum animal, tempore

fœli-

fœlicitatis mecũ habitasti, nũc quia fortuna mutata est, illam meã deseruisti. ☞ Fabula indicat, eos nõ esse ueros amicos, qui arridẽte fortuna à latere tuo non discedunt, turbata autem, præcipiti abeunt cursu.

DE HEREMITA *uirgine ægrotante.* XXIX.

INsitum est à natura omni animantium generi, ut rei Venereæ libidine incitentur, à qua si qui homines qui coriio albo rariores sunt, se abstinere uolunt, sæpe in graues morbos incidere solent. Quidam igitur heremita ab ipsa adolescẽtia ita titillationes carnis euicerat, ut usq; ad quintum & uigesimum ætatis annum uirgo permaneret. Cum autem in eam ætatem grauissime ægrotare cœpisset, medici nullũ aliud saluis eius remedium se inuenire dicebant, nisi ut cum aliqua muliere coiret. Diu heremita recusauit, mori se potius uelle dicens, quàm uirginitatem rem tam præclaram, et Deo maximè gratam amittere. Assueti enim uirtutibus, ægrè illas à se discedere patiuntur. Victus tandem precibus & cupiditate uitæ, quam nihil homini sanæ mentis dulcius est, adductæ sibi mulieris infusus gremio, placidum petiuit per membra soporem. Experrectus autem uehementer angebatur, & tantam uim lachrymarum effundebat, ut omnes qui aderant, illius misererentur. Quisq; igitur eum consolari, & ut bono animo esset hortari, quoniam Deus clementissimus pater ei ignosceret, quia nõ uoluptatis, sed recuperandæ sani-

tatis causa opus tale patrasset. At ego, inquit istud non fleo, sed quod tantam dulcedinẽ citius expertus nõ sum. ☞ Hæc indicat fabula, humanam naturam adeo peccatorum illecebris delectari, ut uitiorum uoluptatem facilè uirtutum amaritudini anteponat.

DE DIVITE QVODAM & seruo. XXX.

VIr erat dites, seruum habens tardi ingenij, quem regem stultorum solebat nuncupare. Ille his uerbis sæpius irritatus, statuit hero par referre. Semel enim in herum conuersus, utinam, inquit, rex stultorum essem, in toto enim terrarum orbe, nullum meo latius esset imperiũ, & tu quoq; meo subesses imperio. ☞ Fabula indicat omnia plena esse stultorum.

DE VIDVA VIRVM PETENTE. XXXI.

VIdua quædam dives à uicina petebat, ut maritum sibi repeteret, quem non coitus gratia, qui ingratus sibi admodum erat, sed ne bona sua dilapidarẽtur, exoptare se dicebat. Mulier sagax, et uiduæ uersutias intelligens, se inquisituram pollicetur. Paucis post diebus uiduam conueniens, reperi, inquit, tibi uirum ex animi tui sententia. Est enim uir prudens, & ad res gerendas natus, & genitalibus caret, quæ tibi cordi non sunt. Cui uidua, abi hinc, inquit, in malam rem, cum isto marito tuo tam illepido, & si enim coitus appetens non sum, uolo tamen habeat, quod nos reconciliet, si quando cœperimus esse discordes.

Hæc

Hæc fabula indicat, nullum matrimonium fœlix, si clauus defuerit, qui uirum et mulierem arctißime cõstringit.

DE CANIBVS VRBANIS VILLATIcum insequentibus. XXXII.

CAnes compiures urbani, quẽdam uillaticum præcipiti insequebãtur cursu, quàm diu ille fugit, nec repugnare ausus est. At ubi ad insequentes conuersus substitit, & dentes ipse quoq; ostendere cœpit, omnes pariter substiterunt, nec aliquis urbanorum illi propinquare audebat. Tunc imperator exercitus, qui forte ibi aderat, ad suos conuersus milites. Commilitones, inquit, hoc spectaculum nos admonet, ne fugiamus, cum præsentiora fugientibus quam repugnantibus uideamus imminere pericula.

DE ANV DAEMONEM ACCVsante. XXXIII.

VOlunt homines ut plurimum, quando sua culpa aliquid sibi acciderit aduersi, in fortunã uel in dæmonem culpam conferre, ut se crimine exuant, adeo omnes sibi indulgent. Hoc dæmõ ægrè ferens, cum uideret anum quandã arborem ascendentem, ex qua illam ruituram, & in se culpam collaturã præuiderat, accitis testibus dixit. Videte anũ illam absq; meo consilio arborem ascendentem, unde eam casurã esse prospicio. Estote mihi testes, me ei non suasisse, ut solcata illuc

ascẽ-

ascenderet. Mox anus cecidit, & cum interrogaretur, cur soleata arborem ascendisset, Dæmon, inquit, me impulit. Tunc dæmon adductis testibus, probauit id ab anu absq; suo factum esse consilio.

☞ Fabula indicat, homines minimè uenia dignos, qui cum liberè peccent, fortunam uel dæmonem accusant.

DE TESTVDINE ET RANIS XXXIIII.

TEstudo conspicata ranas, quæ in eodem stagno pascebantur, adeo leues agilesq;, ut facilè quolibet prosilirent, & longissime saltarent, naturam accusabat, quod se tardũ animal, & maximo impeditũ onere procreasset, ut neq; facilè moueri posset, & magna assiduo mole premeretur. At ubi uidit ranas anguillarũ escam fieri et cuiuscũq; uel leuissimo ictui obnoxias aliquantulũ recreata dicebat. Quanto melius est onus quo ad omnes ictus munita sum, ferre, q̃ tot mortis subire discrimina. ☞ Hæc fabula indicat, ne ægrè feramus dona naturæ, quæ maiori nobis cõmodo sæpe fiunt, quàm nos intelligere ualeamus.

DE GLIRIBVS QVERCVM ERVere uolentibus. XXXV.

GLires quercum arborem glandiferam dentibus eruere destinauerant, quo paratiorẽ haberent cibum, ne uictus gratia toties ascendere & descẽdere cogerentur. Sed quidam ex eis, qui ætate, et usu rerum

rum ac prudentia cæteros longè anteibat eos absterruit dicens. Si nutricem nostram nunc interficiemus, quis futuris annis nobis ac posteris nostris alimenta præbebit? ☞ Fabula hæc monet, uirum prudentem debere non modo præsentia intueri, uerũetiam futura longe prospicere.

DE CANE ET HERO. XXXVI.

CAnem quidam habens, quo magis ab illo diligeretur, semper eum suis pascebat manibus ligatumq; soluebat. Ligari autem & uerberari iubebat à seruo, ut beneficia à se, maleficia autem à seruo in illum uiderẽtur esse collata. Aegrè autem ferens canis, se assiduè ligari uerberariq;, aufugit, & cum increparetur à domino ut ingratus, & tantorum beneficiorum immemor, qui se fugisset, à quo semper dilectus pastusq; fuisset, ligatus autem uerberatusq; nunquam, respondit, quód seruus tuo iussu facit, a te factum puto.

☞ Hæc fabula indicat, eos malefactores habendos, qui maleficiorum causa fuere.

DE AVIBVS SCARABEOS timentibus. XXXVII.

MAgnus timor aues incesserat, ne scarabei arcu pilari eas occiderent, à quibus magnam pilarũ uim in sterquilinio summo labore fabricatem audierũt. Tũc passer nolite, inquit, expauescere, quo modo enim pilas in nos per aêra uolantes iacere poterint

runt, cum eas per terram magno molimine uix trahant.

☞ Hæc fabula nos admonet, ne hostiũ opes extimescamus, quibus deesse uidemus ingenium.

DE VRSO ET APIBVS. XXXVIII.

VRsus ictus ab ape, tanta ira percitus est, ut alueuaria in quibus apes mellificaueranr, tota unguibus discerperet. Tunc apes uniuersæ, cum domos suas dirui, cibaria auferri, filios necari uiderent, facto impetu aculeis ursum inuadentes, penè necauêre. Qui ex earum manibus uix elapsus secum dicebat, quanto melius erat apis unius aculeum tolerare, quàm tot in me hostes mea iracundia concitare.

☞ Hæc fabula innuit, longè melius interdum esse iniuriam unius sustinere, quàm dum unum punire uolumus multos nobis inimicos comparare.

DE AVCVPE ET FRINGILLA. XXXIX.

AVceps tetenderat uolucribus retia, largãq; illis in area effuderat escam, pascẽtes tamen aues nõ capiebat, quia sibi uidebantur paucæ quibus pastis ac uolantibus, aliæ pastum aduenirent. Quas quoq; propter paucitatem capere neglexit. Hoc per totũ diem ordine seruato, ac alijs aduenientibus, alijs abeuntibus, illo semper maiorẽ prædã expectante, tandem adueſperascere cœperat. Tũc auceps amissa spe multas capiendi, cũ iam tempus esset quiescendi, attrahens retia, unam tantum fringillam, quæ infœlix in area remanserat

rat, cœpit. ☞ Hæc fabula indicat, qui omnia comprehendere uolunt, sæpe pauca uix capere posse.

DE MILITE ET EQVO. XL.

MIles equum habēs optimum, emit alium nequaquam illi bonitate parem, quem multo diligentius, quàm priorem nutricabat, tunc priori sic ait, Cur me dominus quàm te impensius curat? cum tibi neq; pulchritudine, neq; robore, neq; uelocitate comparandus sim. Cui ille, Est hæc, inquit, hominum natura, ut semper in nouos hospites benigniores sint. ☞ Hæc fabula indicat, hominum amentiam, qui noua etiam, si deteriora sint, solent ueteribus anteponere.

DE SVE ET CANE. XLI.

SVs irridebat canem odorisequū, qui domino murmure & cauda adularetur, à quo ad artem aucupatoriam multis uerberibus, auriumq; uellicationibus fuerat instructus. Cui canis, Nescis, inquit, insane nescis, quæ ex uerberibus illis sim consecutus? per ea enim suauissimis perdicū coturnicumq; carnibus uescor. ☞ Hæc fabula nos admonet, ne iniquo feramus animo præceptorum uerbera, quæ multorum bonorum causa esse consueuēre.

DE TRABE BOVM PIGRItiam increpante. XLII.

TRabs quæ curru uehebatur, boues ut lentulos increpabat, dicens, Currite pigri, onus enim leue porta-

portatis. Cui boues, Irrides nos respondérunt, ignara quæ te pœna maneat. Onus hoc nos cito deponemus, tuum autem tu quo abrumparis, sustinere cogeris, indoluit trabs, nec amplius boues cõuitijs lacessere ausa est.

☞ Hæc fabula quemlibet monet, ne alium insultet calamitatibus, cum ipse possit maioribus subiacere.

DE CARDVELE ET PVERO. XLIII.

CArduelis auis interrogata à puero, quo in delitijs habita, & suauibus & largis cibis nutrita fuerat, cur cauea egressa, regredi nollet, ut meo, inquit, me arbitratu non tuo pascere possim.

☞ Hæc fabula indicat, uitæ libertatem cunctis delitijs anteponendam.

DE SCVRRA ET EPISCOPO. XLIIII.

SCurra quidam Calẽdis Ianuarijs ad episcopũ quendam diuitem quidem, sed auarum, accedens, nummisma aureum strenæ nomine petijt. Antistes insanire hominem dixit, qui crederet tantam pecuniam sibi in strenam dari. Tunc scurra nummum argenteum efflagitare cœpit. Sed cum ille hoc quoq; nimium sibi uideri diceret, æreum quadrantem ut saltem sibi traderet, orabat. Sed cum ne hunc quoq; posset ab episcopo extorquere. Reuerende, inquit, pater, saltem benedictione tua me pro strena imperti. Tunc episcopus, flecte, inquit, genua fili, ut te benedicam. At ego, inquit scur-

scurra, benedictionem istam tuam tam uilem nolo. Si enim nummum æreum ualeret, eam mihi nunquam profecto concederes.

☞ *Hæc fabula contra eos episcopos & sacerdotes conficta est, qui diuitias & opes pluris faciunt, quàm cuncta ecclesiæ sacra atq; mysteria.*

DE VPVPA INDIGNE HONORATA. XLV.

INuitatæ ferè omnes aues ad aquilæ nuptias, indigne ferebant upupam cæteris præferri, quia corona insignis esset & ucrsicoloribus pennis ornata, cum semper inter stercora & sordes solita esset uolutari.

☞ *Hæc fabula stultitiam eorum arguit, qui in hominibus honorandis, potius uestitum, nitorem, præstantiamq; formæ, quam uirtutes moresq; soleant attendere.*

DE SACERDOTE ET PYRIS. XLVI.

SAcerdos quidam gulosus extra patriam ad nuptias proficiscens, ad quas fuerat inuitatus, reperit in itinere pyrorum aceruum, quorum ne unum quidē attigit, quamuis magna affectus fame, Quin potius ea ludibrio habens, lotio cōsperxit, indignabatur enim huiusmodi cibos sibi in itinere offerri, qui ad lautas accedebat epulas. Sed cū in itinere torrētem quendam ita imbribus auctū offendisset, ut sine uitæ periculo, eū trā sire nō posset, domū redire cōstituit. Reuertens autem ieiunus, tanta est oppressus fame, ut nisi pyra illa, quæ urina conspersérat comesset, cum aliud non inueni-

ret, extingueretur. ☞ Hæc fabula monet, nihil esse contemnendum, cum nihil sit tam vile & abiectum quod aliquando usui esse non possit.

DE MVLO ET EQVO. XLVII.

MVlus conspiciens equũ aureo freno ephippioq; insignem, & purpureis opertum phaleris, rumpebatur inuidia, illum beatum reputans, qui continue optimis uesceretur cibis, & decoro amiciretur ornatu, se autem præ illo infœlicem, qui clitellis male dolatis oppressus, quotidie maxima onera ferre cogeretur. At ubi uidit equum pugna redeuntem, multis affectum uulneribus, præ illius calamitate se fœlicem appellabat, longè melius esse dicens, quotidiano labore durum uictum quæritare, & turpiter uestiri, quàm post optimos & delicatos cibos, & tantos ornatus, mortis adire discrimina. ☞ Hæc fabula monet, regibus & principibus minimè inuidendũ, quia diuitijs & opibus abundent, ut cum uitam eorum longè pluribus periculis quàm pauperum uideamus esse subiectam.

DE PORCO ET EQVO. XLVIII.

POrcus conspiciens equũ bellatorem, qui cataphractus ad pugnã prodibat. Stulte, inquit, quo properas? in pugna enim fortasse morieris. Cui equus At tibi inter lutum sordesq; impinguato, quamuis nihil dignũ laude gesseris, cultellus adimet uitam, mortem uero meam

vo meam comitabitur gloria. ☞ Hæc fabula innuit honestius esse rebus præclarè gestis occumbere, quàm uitam turpiter actam protrahere.

DE CORIARIO EMENTE PELLEM VRSI à uenatore nondũ capti. XLIX.

COriarius ad uenatorem accedens, emit ab eo pellem ursi, pecuniamq; pro ea protulit. Ille sibi in præsentia pellem ursi nõ esse, cæterum postridie uenatum profecturum, ursoq; interfecto, pellem illius ei se daturum pollicetur. Coriarius animi gratia cũ uenatore in syluam profectus, altissimam arborem ascendit, ut inde ursi uenatorisq; certamen prospiceret. Venator intrepidus ad antrum ubi ursus latebat profectus, immissis canibus, illum exire compulit, qui, euitato uenatoris ictu, eum prostrauit humi. Tunc uenator sciens hanc feram in cadauera non sæuire, anhelitu retento, se mortuum simulabat. Vrsus naribus admotis olfaciens, cum illũ nec naso, nec corde spirantem deprehenderet, abscessit. Coriarius cum feram abesse prospiceret, ac nihil amplius adesse periculi, ex arbore se deducens, & ad uenatorem, qui nondum surgere audebat, accedens, illum ut surgeret monebat, interrogatus deinde, quid ad aurem ei ursus locutus esset. Cui uenator, monuit me, inquit, ne deinceps ursi pellẽ uendere uelim, nisi eum prius ceperim.

☞ Hæc fabula indicat, incerta pro certis nõ habenda.

DE HEREMITA ET MILITE. L.

HEremita quidam uir sanctißimæ uitæ, militem hortabatur,, ut relicta seculi militia, quam absq; Dei offensa, et animæ discrimine pauci exercēt, tandem se corporis traderet quieti,& animæ cōsuleret saluti. Cui miles, faciam, inquit, quod mones pater, uerū enim est, quòd hoc tempore milites, neq; stipēdia exigere ualeant, licet exigua sint neq; prædari possunt. ☞ Fabula significat multos uitijs renunciare, quia illa amplius exercere non possunt.

DE VIRO ET VXORE BIGAMIS. LI.

VIr quidam defuncta uxore, quā ualde dilexerat duxit alteram & ipsam uiduam, quæ assiduè ei prioris mariti uirtutes, fortiáq; facinora obijciebat. Cui, ut par referret, ipse quoq; defunctæ uxoris mores probatißimos, pudicitiā insignem referebat. Quadā autem die uiro irato, pauperi eleemosinam petenti, partem caponis quem in cœnam utriq; coxerat, dedit, dicens. Do tibi pro anima prioris uiri. Quod audiens maritus accersito paupere, reliquum caponis dedit, dicēs Et ego quòq; do tibi hoc pro anima uxoris meæ defunctæ. Sic illi dum alter alteri nocere cupiunt, quid cœnarent tandem non habuerunt.

☞ Hæc fabula monet, nō esse contra eos pugnandum, qui se possunt optimè uindicare.

DE LEONE ET MVRE. LII.

Leo

LEo laqueo captus in sylua, cum se ita irretitum uideret, ut nullis uiribus se inde posse explicare confideret, murem rogauit, ut abroso laqueo eũ liberaret, promittens tanti beneficij se non immemorẽ futurum. Quod cum mus prompte feciſſet, leonem rogauit, ut filiam eius ſibi traderet in uxorem. Nec abnuit leo, ut benefactori ſuo rem gratam faceret. Noua autem nupta ad uirum ueniens, cum eum non uideret, caſu illum pede preſsit, atq; contriuit.

☞ Hæc indicat fabula, matrimonia & cætera conſortia improbanda, quæ ab impariбus contrahuntur.

DE VLMO ET SILERE. LIII.

VLmus in ripa fluminis nata, ſiler ſibi proximus irridebat, ut debile & inualidum, quòd ad omnẽ uel leuiſsimum undarũ impetum flecteretur, ſuam autem firmitatẽ & robur magnificis extollebat uerbis, quod multos annos aſsiduos amnis impetu inconcuſſa pertulerat. Semel autem maxima undarũ uiolentia, ulmus perfracta trahebatur ab equis. Cui ſiler ridens, inquit, Cur me deſeris uicina, ubi nũc eſt fortitudo tua?

☞ Fabula ſignificat, ſapientiores eſſe qui potentioribus ſecedũt, q̃ qui reſiſtere uolentes turpiter ſuperãtur.

DE CERA DVRITIEM APPETente. LIIII.

CEra ingemiſcebat ſe mollem & cuicunq; leuiſsimo ictu penetrabilem procreatam. Videns autem

lateres ex luto multo meliori factos, in tantam duritiē ignis calore peruenisse, ut multa perdurarēt secula, se iecit in ignem, ut eandem duritiem consequeretur. Sed statim igne liquefacta, consumpta est.

☞ Hac admonemur fabula, ne appetamus, quod est nobis natura denegatum.

DE AGRICOLA MILITIAM ET mercaturam affectante. LV.

AGricola quidam ægrè ferebat se assiduè terram uoluere, nec perpetuis laboribus ad magnas diuitias peruenire, cum nonnullos uideret milites qui actis prælijs, ita rem auxerant, ut benè induti incederent, & lautis epulis nutriti, beatam agerent uitam. Venditis igitur ouibus, capris, ac bobus, equos emit & arma, & in militiam profectus est, ubi cum ab imperatore suo malè pugnatum esset, non solum quæ habebat perdidit, sed etiā pluribus uulneribus affectus est. Quare damnata militia, mercaturā exercere statuit, ut ubi maius lucrum, & minorem laborem existimabat. Prædijs igitur uenditis, cum naucm mercibus impleuisset, nauigare cœperat, sed cum in alto esset, tempestate subito coorta, nauis submersa est, & ipse cum cæteris qui in ea erant, ad unum omnes periēre.

☞ Hæc fabula monet, quemlibet debere sua arte esse contentum, cum ubiq; parata sit miseria.

DE ASINO ET SCRRA LVI.

Asinus

ASinus indigne ferens, scurram quendam honorari, & pulchris uestibus amicti, quia magnos uentris edebat sonos, ad magistratus accessit, petens ne se minus quàm scurram honorare uellent, & cum magistratus admirantes eum interrogarent, cur se ita honorare dignũ duceret, inqt, quia maiores q̃ scurra crepitus uẽtris emitto, eosq; absq; fœtore. ☞ Hæc fabula eos arguit, q in rebus leuissimis suas peccias pfundũt.

DE AMNE SVVM FONTEM CONVITIIS lacessente. LVII.

AMnis quidam suum conuitijs fontem lacessebat, ut inertem, quód immobilis staret, nec ullos haberet pisces, se autem plurimum commendabat, quód optimos crearet pisces, & per ualles blando murmure serperet. Indignatus fons in amnem uelut ingratum, undas repressit. Tunc amnis & piscibus & dulci solo priuatus, euanuit. ☞ Hæc fabula eos notat qui bona quæ agũt, sibi arrogãt, non deo attribuunt, à quo largo fonte nostra bona proœdunt.

DE VIRO MALIGNO ET Dæmone. LVIII.

VIr malignus, cũ plurima perpetrasset scelera, & sæpius captus, & carcere conclusus, arctissima & peruigili custodia teneretur, dæmonis auxilium implorabat, qui sæpenumero illi affuit & è multis eum periculis liberauit. Tandem iterum depræhenso & solitum auxilium imploranti, dæmon magnũ calce-

orum pertusorũ fascem super humeros habẽs, apparuit dicẽs, Amice, amplius tibi auxilio esse nõ possũ, tot enim loca pro te liberãdo hactenus peragraui, ut hos omnes calceos cõtriuerim. Nulla mihi supest pecunia, qua alios ualeã cõparare, quare pereundũ est tibi. ☞ *Hæc admonet fabula, ne existimemus nostra semper impunita fore peccata.*

DE AVIBVS PLVRES REGES ELIGERE uolentibus. LIX.

AVes consultabant de pluribus regibus eligendis, cum aquila tantos uolucrum greges sola regere non posset, fecissentq; uoto satis, nisi cornicis monitu à tali consilio destitissent, quæ cum causam rogaretur, cur non plures reges duceret eligendos, quia difficilius, inquit, plures quàm unus saccus implentur. ☞ *Hæc fabula docet, lõge melius ab uno, quàm à multis principibus gubernari.*

DE MVLIERE, QVAE PRO VIRO se mori uelle dicebat. LX.

MAtrona quædam admodum pudica, et uiri amãtissima, ægrè ferebat maritum aduersa ualetudine detineri. Lamentabatur, ingemiscebat, et ut sutum in uirum amorem testaretur, rogabat mortem, ut si maritum sibi esset ereptura, se potius quàm illum uellet occidere. Inter hæc uerba, mortem cernit horribili aspectu uenientem, cuius timore perterrita, & iam

sui

fui uoti pœnitẽs. Non sum ego, inqt, quẽ petis, iacet ibi in lecto quẽ occisura ueneisti. ☞ *Hæc fabula indicat neminẽ esse amantẽ amici, q̃ nõ malit sibi benè esse q̃ alteri*

DE ADOLESCENTE IN FVNERE MATRIS canente. LXI.

VIr quidã defunctam uxorẽ, quæ ad sepulchrũ efferebatur, lachrymis & fletibus prosequebatur. Filius uero eius cancbat, qui cũ à patre increparetur, ut amẽs & insanus, qui in matris funere cãtaret, cũ unà secũ mœstus esse, & flere deberet, inquit, Pater mi, si sacerdotes ut canerẽt conduxisti, cur mihi irascaris gratis concinenti. Cui pater, non tuũ, inquit, & sacerdotũ idem est officiũ. ☞ *Fabula indicat, non omnia omnibus decere.*

DE VIRO ZELOTYPO, QVI VXOREM dederat custodiendam. LXII.

VIr zelotypus, uxorẽ quam parũ pudicè uiuere cõperat, cuidã amico, cui plurimũ fidebat, dederat custodiendã, ingentem pollicitus pecuniã, si eam ita diligẽter obseruaret, ut nullo modo cõiugalem uiolaret copulã. At ille ubi aliquot dies expertus custodiã hanc nimis difficilẽ, & ingeniũ suum uersutia mulieris uinci cõperisset, ad mariũ accedens, dixit se amplius nolle hanc tã duram gerere prouinciã, quandoquidẽ ne Argus quidẽ, qui totus oculeus fuit, mulierẽ inuitam posset custodire. Addidit præterea, si necesse sit, malle

malle se anno integro saccũ plenũ pulicibus quotidie in pratũ deferre, solutoq; sacco eos inter herbas pascere, uesp. req; facto, ocs domũ reducere, q̃ una die impudicã mulierẽ seruare. ☞ Hæc fabula indicat, nullos custodes esse ita diligẽtes, q impudicas mulieres ualeãt custodire.

DE VIRO CLYSTERIA recusante. LXIII.

VIr quidam natione Germanus, diues admodum ægrotabat, ad quem curandũ plures accesserant medici (ad mel enim cateruatim cõuolãt muscæ) quorũ unus inter cætera dicebat, opus esse clysteribus si uellet cõualescere, qd' cũ uir huiusmodi insuetus medicinæ, audiret, furore percitus, medicos domo ejci iubet, dicẽs, eos esse insanos, qui cũ caput sibi doleret, podici uellẽt mederi. ☞ Hæc fabula innuit, omnia etiã salutaria insuetis et inexptis aspera et obstura uideri.

DE ASINO AEGROTANTE ET LVPIS uisitantibus. LXIIII.

ASinus ægrotabat, famaq; exierat eum cito moriturum, ad cum igitur uisendum cum lupi cæ-nesq; uenissent, peterentq; à filio, quomodo pa-ter eius se haberet? Ille per hostij rimulã respõdit. Me-lius quàm uelletis. ☞ Hæc indicat fabula, quód multi fingunt molestè ferre mortem aliorum, quos tamen cupiunt celeriter interire.

QVOD NVCI, ASINO, ET MVLIERI prosunt uerbera. LXV.

Mulier

MVlier quædam interrogabat nucem secus uiam natam, quæ à prætereunte populo saxis impetebatur, quare esset ita amens, ut quo pluribus maioribusq; uerberibus cæderetur, eo plures præstantioresq; fructus procrearet. Cui iuglans, es ne, inquit, proverbij immemor ita dicentis?

Nux, asinus, mulier, simuli sunt lege ligati,
Hæc tria nil rectè faciunt, si uerbera cessent.

☞ Hæc fabula innuit, sæpe homines proprijs iaculis se solere confodere.

DE ASINO LABORVM FINEM non inueniente. LXVI.

ASinus hyberno tempore plurimum angebatur, quòd nullo afficeretur frigore, & durũ palearum haberet uictum. Quare uernã temperiem & teneras herbas optabat. Sed cum uer adueniſſet, cogeretur à domino, qui figulus erat, argillam in aream & ligna ad fornacem, indeq; lateres, imbres, tegulas ad diuersa loca deferre, pertæsus ueris, in quo tot labores tolerabat, æstatẽ omnibus uotis expetebat, ut dominus messe impeditus, cum quiescere pateretur. Sed tunc quoq; cum messem in aream, & inde domum triticũ ferre cogeretur, nec quieti locus sibi esset. Autumnũ saltem laborũ finem fore sperabat. Sed ubi ne nunc quoq; malorum terminum adesse cernebat, cum quotidie uuam, poma, ligna, portãda essent, rusrus hyemis niues

ues & glaciem efflagitabat, ut tunc saltem aliqua sibi requies à tantis laboribus concederetur.

☞ *Hæc fabula indicat, nulla esse præsentis uitæ tempora, quæ non perpetuis sint subiecta laboribus.*

DE MVRE, QVI CVM FELE AMICITIAM contrahere uolebat. LXVII.

MVres complures in cauo parietis commorantes contemplabantur felem, quæ in tabulato, capite demisso, & tristi uultu recumbebat. Tunc unus ex eis, hoc animal, inquit, benignũ admodũ et mite uide. Vultu enim ipso sanctimoniã quandã præ se fert uolo ipsum alloqui, et cũ eo indissolubilẽ nectere amicitiã. Quæ cũ dixisset, et propius accessisset, à fele captus & dilaceratus est. Tũc cæteri hoc uidẽtes, secum diccebant. Non est profecto, nõ est uultui temerè credendũ.

☞ *Hæc fabula innuit, nõ ex uultu sed ex opib⁹ homies iudicãdos, cũ sub ouili pelle sæpe atroces lupi delitescãt.*

DE ASINO QVI HERO INGRATO seruierat. LXVIII.

ASinus qui uiro cuidam ingrato multos annos inoffenso pede seruierat, semel, ut fit, dum sarcina pressus esset graui, & salebrosa inœdit uia, sub onere ceciderat. Tunc dominus implacabilis multis uerberibus surgere cõpellebat, pigrũ animal & ignauũ nuncupans. At ille miser inter uerbera hæc secum dicebat. Infœlix ego, quàm ingratum sortitus sum herum.

Nam

Nam quamuis ei multo tempore sine offensa seruierim tamen non hoc unum delictum, tot meis pristinis beneficijs compensat. ☞ Hæc fabula in eos conficta est, qui beneficiorum sibi collatorũ immemores, etiam minimã benefactoris sui in se offensam, atroci pœna prosequũtur

DE LVPO SVADENTE HISTRICI ut tela deponeret. LXIX

LVpus esuriens in histricem intenderat animum, quem tamen quia sagittis undiq; munitus erat inuadere non audebat. Excogitata autem eum perdendi astutia, illi suadere cœpit, ne pauco tempore tantum telorum onus tergore portaret, quandoquidem ne aliquid sagittarij, nisi cum prælij tempus instaret portarent. Cui histrix, aduersus lupũ inquit, semper præliandi tempus esse credendum est. ☞ Hæc fabula innuit, uirum sapientem oportere aduersus inimicorum et hostium fraudes semper esse munitum.

DE MVRE LIBERANTE Miluum. LXX

MVs conspicatus miluum laqueo aucupis implicitum, misertus est auis, quamuis sibi inimicæ, abrosisq; dente uinculis, euolandi uiã ei fecit, Milvus tanti immemor beneficij, ubi se solutum uidit, murem nil tale suspicantem corripiens unguibus, rostro lacerauit. ☞ Fabula indicat malignos uiros huiusmodi gratias suis benefactoribus solere rependere.

DE COCHLEA PETENTE AB IOVE, VT suam

suam domum secum ferre posset. LXXI.

CVm Iuppiter ab exordio mundi singulis animalibus munera quæ petiissent, elargiretur. Cochlea ab eo petijt, ut domum suam posset circumferre. Interrogata a Ioue, quare tale ab eo munus expoſceret, quod illi graue et molestū futurū erat. Malo, inquit, tā graue onus perpetuo ferre, q̄ cū mihi libuerit, malū uicinū non posse uitare. ☞ Fabula indicat, malorū uicinitatem omni incommodo fugiendam.

DE ERINACIO VIPERAM HOSpitem eijciente. LXXII.

ERinacius hyemem aduentare præsentiens, blande uiperam rogauit, ut in propria illius cauerna aduersus uim frigoris locum sibi concederet. Quod cum illa feciſſet, erinacius huc atq; illuc se prouoluens ſpinarum acumine uiperam pungebat, & uehementi dolore torquebat. Illa male secum actū uidens, quādo erinaciū ſuſcepit hoſpitio, blādis uerbis, eū ut exiret orabat, quandoquidem locus ambobus eſſet anguſtus. Cui erinacius, exeat inquit, qui hic manere nō potest, quare uipera ſentiēs ſibi locū ibi nō eſſe, illi ceſſit hoſpitio. ☞ Fabula ſignificat, eos in conſortio non admittendos qui non poſſunt eijci.

DE LEPORE SESE VVLPI OB PEDVM uelocitatem præferente. LXXIII.

LEpus ſeſe dignū reputabat, qui uulpi præferretur,

tur, quoniã longè illam pedũ pernicitate superabat. Tũc uulpes, At ego, inqt, ingeniũ sum fortita præstãtius, quo sæpius q̃ tu pnicitate tua, canes eludo. ☞ Hæc indicat fabula, cõrpis uelocitatẽ et uires, ab ingenio lõgè superari

DE SENE OB IMPOTENTIAM LIbidinem carnis relinquente. LXXIIII.

VIr quidam sanctitate præditus singulari, senem quendam admonebat, ut tandem uitium libidinis dimitteret, cui uehementer insudarat. Cui senex obtemperabo, inquit, pater sancte, sanctißimis optimisq; admonitionibus tuis. Nam usum Veneris admodum nũbi obesse sentio, & uirga non amplius erigitur. ☞ Fabula indicat, multos non amore uirtutis & Dei, sed timore pœnæ, et impotentia à consuetis uitijs solere desistere.

DE AGRICOLA ET POETA. LXXV

AGricola quidam ad poẽtam accedens, cuius agros colebat, cum eum inter libros solũ offendisset, interrogauitq; eum, quo pacto ita solus uiuere posset. Cui ille, solus inquit, tantum esse cœpi, postquam te huc contulisti.

☞ Hæc indicat fabula eruditos uiros, qui doctißimorum uirorum turba continuè stipantur, tunc solos esse, cum inter illiteratos homines fuerint.

DE LVPO OVIS PELLE INDVTO, QVI gregem deuorabat. LXXVI.

Lupus

LVpus ouis pelle indutus, ouium se immiscuit gregi, quotidieq; aliquã ex eis occidebat. Quod cum pastor animaduertisset, illum in altissima arbore suspendit. Interrogantibus autẽ cæteris pastoribus, cur ouẽ suspẽdisset, aiebat, pellis quidẽ, ut uidetis, est ouis, opera autem erãt lupi. ☞ Hæc indicat fabula, homines non ex habitu, sed ex operibus iudicandos, quoniam multi sub uestimentis ouium lupina faciunt opera.

DE PATRE FILIVM AD VIRTVTES frustra hortante. LXXVII.

PAter quidam filium uitijs deditum, multis hortabatur uerbis, ut derelicta uitiorum uia, uirtutibus inuigilaret, quæ ei laudem & decus erant paturæ. Cui filius, frustra, inquit, pater ad hæc facienda hortaris, Multos enim prædicatores (ut aiunt) audiui, qui longè te melius ad uirtutum hortabantur uiam, nunquàm tamen eorum admonitionibus obsecutus sum. ☞ Fabula indicat, uiros malignæ naturæ nullius hortatu à uitijs uelle desistere.

DE CANE OVES DOMINI SVI OCCIdente, à quo suspensus est. LXXVIII.

PAstor quidam cani oues suas dederat custodiendas, optimis illum pascens cibis. At ille sæpe aliquam ouem occidebat, Quod cum pastor animaduertisset, canem capiens, eum uolebat occidere. Cui canis, Quid me, inquit, perdere cupis? sum unus ex domesticis tuis

cis tuis, interfice potius lupum, qui continuè tuo insidiatur ouili. Imo inquit pastor, te quàm lupum morte dignum magis puto. Ille enim palam se meum hostem profitetur. Tu uero sub amicitiæ specie, quotidie meum imminuis gregem. ☞ *Hæc innuit fabula, longè magis puniendos, qui sub amicitiæ specie nos lædunt, quàm qui apertè se nostros amicos profitentur.*

DE ARIETE CVM TAVRO pugnante. LXXIX.

ARies quidam inter lanigeros erat greges, tanta cornuũ & capitis firmitate, ut cæteros arietes statim facileq; superaret. Quare cum nullum amplius arietem inueniret, qui occurrenti sibi auderet obsistere, crebris elatus uictorijs, taurum ausus ad certamen prouocare, Sed primo congressu, cũ in taurinam frontem arietasset, tam atroci ictu repercussus est, ut ferè moriens hæc diceret. Stultus ego, quid egi? Cur tam potentem aduersarium ausus sum lacessere, cui me imparem creauit natura. ☞ *Fabula indicat, cum potentioribus non esse decertandum.*

DE VIDVA ET ASINO VIRIDI. LXXX.

VIdua quædam cœlibatum exosa, nubere cupiebat, sed nõ audebat, uerita uulgi irrisiones, qui maledictis eas solet incessere, quæ ad secundas transeunt nuptias. Sed cũ mater eius, quàm contemnendæ essent populi uoces, hac arte monstrauit, iussit enim

asinũ album, quem uidua habebat, uiridi colore depingi, & per omnes urbis uicos circumduci. Quod dũ fieret, tanta admiratio ab initio omnes inuaserat, ut non solum pueri, uerumetiam senes hac re insolita moti, asinum animi gratia concomitarentur. Deinde cum huiusmodi animal quotidie per urbem duceretur, aesierunt admirari. Itidem inquit ad uiduam mater euenict tibi. Si enim uirũ acceperis, per aliquot dies eris fabula uulgi. Deinde hic sermo conticescet. ☞ Hæc fabula indicat, nullam rem esse tanta dignam admiratione, quæ diuturnitate temporis non desinat esse miraculum.

DE AQVILA FILIOS CVNIculi rapiente. LXXXI.

AQuila in altissima arbore nidulata, catulos cuniculi, qui longè inde pascebantur, in escam pullorum suorum rapuerat, quam cuniculus blãdis orabat uerbis, ut suos filios restituere dignaretur. At illa eũ, ut pusillum & terrestre animal, & ad sibi nocendum impotens arbitrata, eos in conspectu matris unguibus dilacerare, & pullis suis epulandos apponere non dubitauit. Tunc cuniculus filiorum morte commotus, hanc iniuriam minimè impunitam abire permisit, arborem enim quæ nidum sustinebat radicitus effodit. Quæ leui impulsu uentorum procidens, pullos aquilæ adhuc implumes & inuolucres, in humum deiecit, qui à feris depasti, magnũ doloris solatiũ cuniculo præ-

lo præbuerunt. ☞ Hæc indicat fabula, neminem potentia sua fretum, imbecilliores debere despicere, cū aliquando infirmiores potentiarum iniurias ulciscantur.

DE LVPO PISCE FLVVII, MARIS regnum affectante. LXXXII.

LVpus piscis erat in amne quodam, qui pulchritudine, magnitudine, ac robore cæteros eiusdē fluminis pisces excedebat. Vnde cuncti eum admirabantur, & tanq̄ regem præcipuo prosequebantur honore. Quare in superbiam elatus, maiorem principatum cœpit appetere. Relicto igitur amne, in quo multos annos regnauerat, ingressus est mare, ut eius regnū sibi uendicaret. Sed offendens delphinū mare magnitudinis, qui in illo regnabat, ita ab illo infectatus est, ut aufugiens, uix annis ostium ingrederetur, unde amplius non est ausus exire. ☞ Hæc fabula nos admonet, ut rebus nostri contenti, ea non appetamus, quæ nostris uiribus sunt longè maiora.

DE OVE PASTORI CONVIciante. LXXXIII.

OVis conuitiabatur pastori, quod non contentus lacte, quod in usum suum filiorumq; ab eo mulgebat, insuper illā uellere denudaret. Tunc pastor iratus, filiū eius trahebat ad mortē. Ecquid, inquit, ouis peius mihi facere potes? Vt te, inq̄ pastor, occidā,

& lupis canibusq; proijciam deuorandã, siluit ouis, maiora adhuc mala formidans. ☞ Hæc fabula indicat, non debere homines in Deum excandescere, si diuitias, si filios ipsis permittat auferri, cum etiam maiora & uiuentibus & mortuis possit inferre supplicia.

DE AVRIGA ET ROTA CVRRVS stridente LXXXIIII.

AVriga interrogabat currum, quare rota, quæ erat deterior, strideret, cũ cæteræ idem non facerẽt. Cui currus, ægroti, inquit, semper morosi & querauli esse consueuerũt. ☞ Hæc indicat fabula, mala solere homines ad querimoniã semper impellere.

DE VIRO AMICOS EXPERIRI uolente. LXXXV.

VIr quidam diues admodum & liberalis, magnã habebat amicorum copiam, quos ad cœnam sæpissime inuitabat, ad quam libentissime accedebant. Volens autem experiri, an in laboribus & periculis sibi fideles essent, omnes pariter cõuocauit dicẽs, obortos sibi inimicos, ad quos perdendos ire statuerat. Quare correptis armis secum irent, ut illatas ulciscerentur iniurias. Tunc omnes præter duos, sese excusare cœperunt. Cæteris igitur repudiatis, illos tantũ duos in amicorum numero habuit, quos deinde singulari amore prosecutus est. ☞ Hæc indicat fabula, aduersam fortunã amicitiæ experimentũ esse quàm optimum.

De

DE VVLPE CARNEM LEPORIS cani laudante. LXXXVI.

VVlpes cum fugaretur à cane, & iamiam esset capienda, nec ullam aliam euadendi uiam inuenire se posse cognosceret. Quid me, inquit, ô canis, perdere cupis, cuius caro tibi usui esse nõ potest, cape potius leporem illum (non procul enim lepus aberat) cuius carnem suauissimam mortales esse commemorant. Canis igitur motus cõsilio uulpis, omissa uulpe, leporem insecutus est, quẽ tamen ob incredibilẽ eius uelocitatẽ capere non potuit. Paucis post diebus, lepus cõueniens uulpẽ, uehementer eũ accusabat (uerba enim eius audiuerat) quod se cani demõstrasset. Cui uulpes, quid me accusas lepus? quæ te tãtopere laudaui, quid diceres, si te uituperassem. ☞ Hæc fabula indicat, multos mortales sub laudationis specie alijs pernicie machinari.

DE LEPORE CALLIDITATEM, ET uulpe celeritatẽ à Ioue petentibus. LXXXVII.

LEpus & uulpes à Ioue petebãt, hæc, ut calliditati suæ pedum celeritatem, ille, ut uelocitati suæ calliditatem adiungeret. Quibus Iuppiter ita respõdit, Ab origine mundi è sinu nostro liberalissimo singulis animantibus sua munera sumus elargiti. Vni autem omnia dedisse, aliorum fuisset iniuria. ☞ Hæc innuit fabula, Deum singulis sua munera ita esse æquali lance largitum, ut quisq; esse debeat sua sorte contentus.

DE EQVO INCVLTO SED VELOCI & cæteris eum irridentibus. LXXXVIII.

EQui complures ad Circenſes ludos fuerant adducti, pulcherrimis phaleris ornati, præter unum, quem cæteri ut incultum, & ad huiuſmodi certamen ineptum irridebant, nec unquam uictorem futurum opinabantur. Sed ubi currendi tempus aduenit, & dato tuba ſigno, cuncti è carceribus exiliére, tum demum innotuit, quanto hic paulo ánte irriſus, cæteros uelocitate ſuperaret. Omnibus enim alijs poſt ſe longo interuallo relictis, palmam aſſecutus eſt.

☞ Fabula indicat, non ex habitu, ſed ex uirtute homines iudicandos.

DE RVSTICO PER VOCEM HOEDI ad iuriſconſultum admiſſo. LXXXIX.

RVſticus quidam graui lite implicitus ad quendam Iuriſcõſultum acceſſerat, ut eo patrono ſeſe explicaret. At ille alijs negotijs impeditus renunciari iubet, ſe non poſſe nunc illi uacare, quare abiret alias rediturus. Ruſticus qui huic ut ucteri fidoq; amico plurimum fidebat, pluries rediens, nunquã admiſſus eſt. Tandem hœdum adhuc lactantem & pinguem ſecũ deferens, ante ædes Iuriſperiti ſtabat, & hœdum uellicãs illũ balare cogebat, Ianitor, qui ex præcepto heri dona portantes ſtatim admittere ſolebat, audita hœdi uoce, ianuam illico aperiens, hominẽ intro ire iubet. Tunc Ruſticus

sticus ad hœdum conuersus, gratias, inquit, ago hœdule mi, qui tam faciles mihi has effecisti fores.

☞ *Fabula indicat, nullas res tã duras difficilesq; esse, quas munera non aperiant.*

DE ADOLESCENTE EX COITV infirmo & lupo. XC.

ADolescens quidam uxorem duxerat, & ipsam quoq; adolescentulam, formosam admodum, & libidinosam, cuius effrenæ libidini dum satisfacere cupit, ita lumbos exhausit, ut paucis diebus macilẽtus fieret, & mortuo magis q̃ uiuo similis uideretur, nõ ingredi, nõ stare, nõ aliquod opus facere poterat, ut senex quidã apricatione gaudebat. Dũ ergo in aprico stãs loco, calore solis sese calefaceret, accidit ut uenatores, qui lupũ fuerant insectati, illac iter haberẽt, quos cum adolescens interrogaret, cur lupũ non cœperant, ob incredibilẽ, inquiunt, eius uelocitatẽ, illum assequi nõ potuimus. Tũc ait adolescens, Vxorẽ profecto hic lupus habere nõ debet, si enim uxori iũctus esset, nunq̃ tanta pedũ pernicitate polleret. ☞ *Hæc indicat fabula, nemi nem esse adeo robustũ et fortẽ, quẽ nimius Veneris usus non infirmum & debilem reddat.*

DE SENE IVVENEM POMA SIBI surripientem lapidibus deijciente. XCI.

SEnex quidam iuuenem sibi poma surripientẽ, blandis orabat uerbis, ut ex arbore descenderet, nec

res suas uellet auferre, Sed cum incassum uerba funderet, iuuene eius ætatem ac uerba contemnente, non in uerbis tantũ, inquit, uerumetiã in herbis audio esse uirtutẽ. Herbas igitur uellere, & in illum iacere cœpit. Quod iuuenis cõspicatus, in uehementẽ risum effusus est & senẽ delirare arbitrabatur, qui crederet cũ ex arbore herbis posse depellere. Tunc senex omnia experiri cupiens, quãdo inquit, uerborũ & herbarum uires aduersus raptorẽ meárum rerũ nullæ sunt, lapidibus agã, in quibus quoq; dicunt esse uirtutẽ, lapidesq;, quibus gremium impleuerat, in iuuenẽ iaciens, illũ descendere & abire coẽgit. ☞ Hæc fabula indicat, omnia prius sapienti tentãda, quam ad armorũ confugiatur auxilium.

DE LVSCINIA CANTVM ACCIPITRI pro uita pollicente. XCII.

LVscinia ab accipitri famelico comprehensa, cum se ab eo deuorandam intelligeret, blandè eum rogabat, ut se dimitteret, pollicita pro tanto beneficio ingentem mercedem sese relaturam. Cum aũt accipiter eam interrogaret, quid gratiæ sibi referre posset. Aures inquit tuas, mellifluis cãtibus demulcebo. At ego inquit accipiter, malo mihi uentrẽ demulceas, sine tuis enim cantibus uiuere, sine cibo uero non possum.

☞ Hæc fabula innuit utilia iucundis anteponenda.

DE LEONE PORCVM SIBI socium eligente. XCIII.

Leo

LEo cum socios ascisceere sibi uellet, multaq; animalia sese illi adiungere optarent, idq; precibus & uotis exposcerent, cæteris spretis, cum porco solum societatem uoluit inire, rogatus autem causam respondit. Quia hoc animal adeo fidum est, ut amicos et socios suos in nullo quātumuis magno discrimine unquam relinquat. ☞ Hæc fabula docet eorum amicitiam appetendam, qui aduersitatis tempore à præstando auxilio non referunt pedem.

DE CVLICE CIBVM ET HOSpitium ab ape petente. XCIII.

CVlex hyberno tempore, cum fame & frigore se periturum cōijceret, ad apium accessit aluearia, ab eis cibum & hospitium petens. Quæ si ab eis fuisset consecutus, promittebat filios earū se artē musicam edocturum. Tunc quædā apis, At ego artem meā malo liberi mei discant, quæ eos à famis & frigoris periculo eximere poterit.

☞ Fabula nos admonet, ut liberos nostros ijs artibus erudiamus, quæ eos ab inopia ualeant uendicare.

DE ASINO TVBICINE, ET LEPOre tabellario. XCV.

LEo rex quadrupedum aduersus uolucres pugnaturus, suorum acies instruebat. Interrogatus autem ab urso, quid ei asini inertia, aut leporis timiditas ad uictoriam conferre possent, quos ibi inter cæ-

teros milites adesse cernebat. Respondit, Asinus tubæ suæ clangore milites ab pugnam cõcitabit. Lepus uero ob pedum celeritatem, tabellarij fungetur officio.

☞ Fabula significat, neminem adeo contemptibilem, qui aliqua re nobis prodesse non possit.

DE ACCIPITRIBVS INTER SE INIMICIS, quos columbæ pacauerant. XCVI

Accipitres inuicem inimici quotidie decertabãt, suisq; odijs occupati, alias aues minimè infestabant. Columbæ illorum uicem dolentes, eos missis legatis, cõposuere. Sed illi, ubi inter se amici effecti sunt, cæteras aues imbecilliores, & maximè columbas uexare, & occidere non desinebant. Tunc secum columbæ, quàm utilior accipitrum discordia, quàm concordia nobis erat.

☞ Hæc monet fabula, malorum inter se ciuium odia alenda potius quàm extinguenda, ut dum inter se digladiantur, uiros bonos quiete uiuere permittant.

DE MVLIERE IGNEM IN MARITI domum deferente. XCVII.

Vir quidam prudens uxorem ducebat, Interrogatus autem ab amicis, quid sibi uellet facula illa, quam noua nupta accensa à paterna domo effert, rursusq; mariti domum ingressura accendit, & introfert. Significat, inquit, me hodie ignem è soceri mei ædibus ablatum, in domum meam inferre.

Fabula

☞ Fabula significat, sæpenumero mulieres ignem quendam esse, qui mariti bona comburit.

DE PRAETORE REPETVNDARVM damnato. XCVIII.

PRætor qui prouinciam cui præfuerat, expilauerat, repetundarum damnatus fuerat. Cumq; ægrè ablata restitueret, dicebat quidam è prouincialibus, hic noster prætor mulieres imitatur, quæ fœtus cõcipientes, mira uoluptate afficiuntur, cum autem eos amittunt, incredibili dolore torquentur.

☞ Fabula significat, aliena non esse surripienda, ne illa deponere coacti, mœrore conficiamur.

DE SENE MORTEM differre uolente. XCIX.

SEnex quidam mortem, quæ eum è uita raptura aduenerat, rogabat ut paululum differret, dum testamentum conderet, & cætera ad tantum iter necessaria præpararet. Cui mors, cur non, inquit, hactenus præparasti toties à me admonitus? Et cũ ille eam nunq; à se uisam amplius diceret, cum, inquit, nõ æquales tuos modo, quorũ nulli ferè iã restant, uerũetiam iuuenes, pueros, infantes quotidie rapiebã, non te admonebã mortalitatis tuæ? Cũ oculos hebescere, auditũ minui, cæteros; sensus inde deficere, corpus ingraueſcere sentiebas, nõne tibi me propinquã esse dicebãs et te admonitũ negas? quare ulterius differendũ non est. ☞ Hæc fabula indicat, ita uiuendũ, quasi mortẽ semper adesse cernamus.

De Vi-

DE VIRO AVARO SACCVLVM nummorum alloquente. C.

VIr quidam auarus, qui ingentem aurorum aceruum malè partum relicturus moriebatur, interrogabat sacculum nummorum, quem morienti sibi iusserat afferri, quibus uoluptatem esset allaturus? Cui sacculus, hæredibus, inquit, tuis, qui nummos à te tanto sudore quæsitos, in scortis & conuiuijs profundent, Et dæmonibus, qui animam tuam æternis supplicijs mancipabunt. ☞ Hæc indicat fabula, stultum esse in ijs laborare, quæ alijs gaudium, nobis autem sint allatura tormentum.

FINIS Fabularum Abstemij.

PETRI PAVLI PHANTINI DE Tradotio in Hecathomythion consummatissimi uiri Laurentij Abstemij Maceraten. Tetrastichon.

Quod nemus Hesperidum Panchaia, Bactra, Sabæi
Heliosium quod habet, quod Tagus, Astur, Arabs.
Cuncta tuo Abstemi nascuntur sponte uireto,
Cuius habet siliquæ seria, non apinas.

IOANNIS ANTRACINI MACEraten, in Hecathomythion Clarissimi Viri Laurentij Abstemij Maceraten, Tetrastichon.

Docti

Doctiloquos alijs scriptis superare Latinos
Quare sumus lepidis Græcia docta pares.
Te Xanthi seruus technis celebrauit amœnis,
Non minus Abstemij nos decorauit opus.

LAVRENTII VALLEN. IN XXXIII. Fabularum Aesopi, è Græco in latinum sermonem translatarum ad clarissimum uirum Renaldum Fonaledæ.

PRAEFATIO.



PROMISERAM NUPERRIME tibi coturnices, quas ipse uenatus essem, missurum. Eas capere ut homo uenãdi insuetus, cum non possem, ad uenationem meam, id est, literas, me conuerti, & forte ad manus uenit libellus græcus, ex præda nauali, treis et triginta Aesopi fabellas continens, has omnes bidui labore uenatus sum. Mitto igitur ad te siue fabellas, siue mauis coturnices, quibus oblectare te possis, ac ludere. Etenim si Octauianũ Marcumq; Antonium orbis terrarũ principes ludo coturnicum delectatos accepimus, profecto tu uir literarũ amantissimus, literato hoc genere ludendi delectabe-

ris. Et si quis Octauiano, aut Antonio, pugnacē aliquā harū auium, dono dedisset, iucundā illis rem gratāq; fecisset. Ego quoq; tibi iucundus, gratusq; ero, quo plus triginta eius generis aues dono mitto pugnaces, uictrices, et si forte hoc te magis iuuat, & pingues, oblectāt enim hæ fabellæ, & alūt, nec manus fructus habēt, quā floris. Sed ne donū suum laudare insolentis sit, finē faciam. Tu si coturnices ueras, q̄ has fabellas malis, rescribe, mittā namq; nō modo coturnices, sed & perdices. Ex urbe Caieta. Calen. Maij. Anno M. D. XIII.

DE VVLPE ET CAPRO.

VLPES ET CAPER sitibundi in puteū descenderunt, in quo cum perbibissent, circūspicienti reditum capro, uulpes ait, Bono animo esto caper, excogitaui namq; quo pacto uterq; reduces simus. Siquidem tu erigens te rectum, priioribus pedibus ad parietem admotis cornuaq; adducto ad pectus mento reclinabis, et ego per terga cornuaq; tua transiliens, & extra puteū euadens, te istinc postea educā, Cuius consilio fidem habenti capro, atq; ut illa iubebat obtemperanti, ipsa è putco prosilijt. Ac deinde, præ gaudio in margine putei gestiebat, exultabatq;, nihil de hirco curā habēs. Cæterū, cū ab hirco ut fidifraga incusaretur, respōdit, Enimuero hirco

ro hircc, si tantum esset tibi sensus in mente, quantum est setarum in mento, non prius in puteum descendisses, quàm de reditu exploratum habuisses.

☞ Hæc fabula innuit, uirum prudentem debere finem explorare, antequam ad rem peragendam ueniat.

DE VVLPE ET LEONE.

VVlpes nullum antea leonem conspicata, cum illi aliquis ex improuiso obuiasset ita aspectu eius expauit, ut parum abfuerit, quin extingueretur. Quod cum iterum postea accidisset, ad aspectum quidem leonis est exterrita, sed non ita, ut prius. Tertio autem cum leonem eundem esset intuita, nõ modo non exterrita, sed etiam fidenter adiens, secum collocuta est & confabulata.

☞ Hæc fabula innuit, quod consuetudo & conuersatio facit, ut quæ maximè horribilia & formidanda sunt neq; horrida, neq; formidolosa uideantur.

DE GALLIS ET PERDICE.

GAllos quidam domi suæ cũ haberet, mercatus est perdicem, eamq; alendam, & in societatẽ gallorum dedit unà cum illis saginandam, eamq; gallꝰ pro se quisq; mordicabant, abigebantq;. Perdix autem apud se afflictabatur, existimans ideo talia inferri sibi à gallis, quòd suum ab illorum genere alienum esset. Vbi uero non multo post aspexit, illos inter se pugnantes, mutuoq; percutiẽtes, recreata à mœrore, inquit. Equidem post

dē post hoc non afflictabor amplius, uidens eos inter se dimicantes.

☞ Hæc fabula innuit, uirum prudentem debere æquo animo ferre contumelias ab alienigenis illatas, quos uidet ne à domesticorum quidem iniuria abstinere.

DE VVLPE ET CAPITE REPERTO.

VVlpes aliquando in domū cythaœdi ingressa, dum omnia instrumenta musica omnēq; supellectilem scrutaretur, reperit è marmore caput scienter fabreq; factum. Quod cum in manum sumpsisset, inquit, ô caput cum magno sensu factū, nullum sensum obtinens. ☞ Hæc fabula ad eos spectat, qui corporis dignitatem habent, animi industriam non habent.

DE CARBONARIO ET FVLLONE.

CArbonarius conducta in domo habitans, fullonem inuitauit, qui eô loci proximè uenisset, ut eiusdē in ædibus unà habitaret. Ad quem fullo, ô homo non est istud factum conducibile. Vereor enim, ne quicquid ipse candificarē, id omne tu carbonaria aspergine fuscares. ☞ Hæc fabula innuit, nullum cum flagitiosis habendum esse commercium.

DE VIRO IACTABVNDO.

VIr quidā aliquandiu peregrinatus, cum iterum domum reuersus fuisset, cū multa alia in diuersis regionibus à se uiriliter gesta iactabundus prædicabat, tum uero id maximè quód Rhodi omnes in

certami-

certamine saliendi superasset, eiusdem rei Rhodios, qui assuerunt, testes esse. At quem unus assistentium respondens, inquit, ô homo si uerum istuc est quod loqueris, quid tibi opus est testibus? ecce hic Rhodius, ecce hic certamen saliendi. ☞ Hæc fabula innuit, quod ubi rerum testimonia adsunt, nihil opus est uerbis.

DE VIRO APPOLLINEM TENTANTE.

VIr quidam facinorosus Delphos se contulit, Apollinem tentaturus, habensq; passerculum sub pallio, quē pugno tenebat, & accedens ad tripodas interrogabat Deum dicens, Quid habeo in dextra uiuit ne, an mortuum est? prolaturus passerculū uiuum si ille mortuum respondisset, occidisset eum statim sub pallio clam, prius quàm proferret. At Deus subdolam calliditatē hominis intelligēs, dixit. O consultor, utrum mauis facere (penes te nam arbitriū est) facito, & siue uiuum, siue mortuum, quod in manibus habes, proferto. ☞ Hæc fabula innuit, mentem diuinam nihil neq; latere, nec fallere.

DE PISCATORE.

PIscator quidam demissis in mare retibus, extulit Ismaridem pusilli corporis, quæ sic piscatorē obsecrabat. Noli me in præsentiarū capere pusillā & minutam, sine abire & crescere, ut postea adulta commodo maiore potiaris. Cui piscator inquit, Ego uero amens sim, si lucrum, quod inter manus habeo,

licet exiguum, prætermittam spe futuri boni, quantumlibet magni.

☞ Hæc fabula innuit, stolidũ esse, qui propter spem maiorem, rem præsentem & certam, licet paruam, non amplectitur.

DE EQVO ET ASINO.

VIr quidam habebat equum & asinum. In itinere autem faciendo inquit asinus equo, Si me saluum uis, releua à me partem oneris mei. Equo illius uerbis non obsequente, asinus sub onere cadens, moritur. Tunc dominus iumentorum omnes, quas portabat asinus sarcinas, simulq; coriũ, quod à mortuo exuerat, equo imponit. Quo onere depressus equus, & gemens cum clamore inquit, Væ mihi iumentorũ infœliciſsimo, quid mihi misero malè euenit? Nam recusans partem, nunc totum onus porto, insuper & illius corium.

☞ Hæc fabula innuit, maiores debere in laboribus participes esse minoribus, ut utriq; incolumes sint.

DE VIRO ET SATYRO.

VIr quidã cum Satyro amicitiam inierat, qui cum edendi gratia sederent, exorta cœli tempestate ac frigore, uir manus ad os admouens, anhelitu refocillabat. Quod intuens satyrus interrogabat, quamobrem id faceret. Ille inquit, calore oris algentes manus refocillo, paulo q; post, calidiori edulio allato cũ uir iterum ad os manum cum edulio admouens, calorem

cibi

cibi tenui inſpiratione refrigeraret, interrogat Satyrus quamobrem & id faceret. Reſpondente autem uiro, ut refrigeret edulium. Atq; ego inquit ſatyrus, tecum poſthac amicitiam non exercebo, qui ex uno ore & ca lidum promis & frigidum. Vale.

☞ Hæc fabula innuit, deuitandam eius amicitiã eſſe, cuius anceps uita, & non ſimplex ſermo.

DE VVLPE ET PARDO.

VVlpes & pardus de pulchritudine altercabantur, & pardo ſuam uerſicolorem pellem extollente, Vulpes cum ſuam præponere non poſſet, inquit. At quanto ego ſpecioſior, quæ non corpus, ſed animũ uerſicolorẽ ſortita ſum? ☞ Hæc fabula innuit pulchritudinẽ animi antecellere pulchritudini corporis.

DE FELE IN FOEMINAM MVTATA.

FEles quædam delitium formoſi erat cuiuſdam adoleſcentis. Hæc ille ut in fœminã mutaret, Venerem depræcatus eſt, Dea miſerta cupiditate adoleſcentuli, cõuertit beſtiã in ſpecioſam puellã, cuius forma inardeſcẽs adoleſcẽtulus, adducit illã ſecum domum. Quibus cõſidentibus in cubiculo, Venus uolens periculũ facere, nunq̃d illa cũ corpore mutaſſet et mores, mures immiſit in mediũ. At illa et eorũ qui aderant, et cubiculi nuptialis immemor, è cubili ſurgẽs murẽ inſequebatur, illũ comedere cupiens. Tũc Dea indignata, iterũ in ſuam reſtituit naturã.

☞ Hæc fabula innuit, sceleſtos homines, & ſi conditionem ſtatumq; mutent, tamen mores nequaquam mutare.

DE AGRICOLA ET CANIBVS.

AGricola quidam hyberno ſydere in agro deprehenſus deficiẽtibus cibarijs, primum interfectis ſingulis onibus, illorum carnibus ueſcebatur, mox & caprarum, poſtremo operarijs bobus interemptis alebatur. Quod canes cũ animaducrtiſſent, inter ſe collocuti ſunt, dicentes. At nos hinc facianus fugam ſi enim operarijs bobus dominus noſter non pepercit, ne nobis quidem parcet.

☞ Hæc fabula innuit, fugiendos eos eſſe, cauendoſq; qui à familiaribus quoq; manus non abſtinent.

DE AGRICOLA SAEVIENTE IN FILIOS.

AGricola filios ſuos uidens quotidie deliuigantes, neq; in gratiã inter ſe reduœre potis eſſet, iuſſit faſciculum uirgarum ſibi afferri, aderant autẽ filij illic ſedentes. Quæ cum allatæ eſſent, colligauit omnes in unum faſciculum, iuſſitq; ſingulos filiorum faſciculum capere atq; confringere. Illis uero confringere non ualentibus, ſoluẽs poſtea faſciculũ, tradidit ſingulas uirgas eis frangẽdas, atq; illis ſtatim facileq; frangẽtibus, intulit, ita et uos filij mei, ſi perſeuerauceritis unanimes, præſtiteritis inexpugnabiles uos hoſtibus, inuictoſq; præbebitis, Sin minus ipſa ueſtra æmulatio atq;

ſeditio

seditio oportunam uos prædam inimicis faciet.

☞ Hæc fabula innuit, æquè res humanas facere uel à concordia incrementum, uel discordia iacturam.

DE MVLIERE ET GALLINA.

MVlier quædam uidua habebat Gallinam, quoti die singula oua parientem, sperans autem pro singulis bina oua pariturum, si plus tribuisset escarum, opipare educabat. Gallina uero pinguior effecta, ne unum quidem ouum parturire poterat.

☞ Hæc fabula innuit, quòd homines propter luxũ et copiam rerũ marcescentes, ab instituto retardantur.

DE HOMINE QVEM CANIS momorderat.

ADmorsus à cane quidã, circuibat singulos, corrogans curationẽ, nactusq; quendã, qui cognita mali qualitate, inquit, Si tu quidem homo conualescere uis, sume crustulã panis madefactam in sanguine uulneris, porrige cani, qui te momordit comedendam. Cui ille subridens, inquit, Ego me hercle si istuc feccro, dignus sum, qui ab omnibus huius urbis canibus mordear. ☞ Hæc fabula innuit, improbos homines cum maxima beneficia acceperunt, tum maximè ad maleficia animari.

DE DVOBVS AMICIS & urso.

DVobus amicis unà iter facientibus, fit ursus obuiam quorum unus perterritus, ut arborẽ scan-

dens latuit, alter uero cum se imparem urso fore & si pugnare uellet, superatum ire intelligeret, procidõs simulabat se mortuum esse. Vrsus autem adueniẽs, aures & occipitium olfaciebat, Illo qui stratus iacebat, usq; continente respirationem, ita mortuum esse credens, ursus abijt. Aiunt enim ursum non sæuire in cadauer. Mox alter, qui inter frondes arboris latuerat, descendens interrogat amicum, quid nam ad aurem ursus secum esset locutus. Cui amicus inquit admonuit me ne posthac cũ huiusmodi amicis iter faciam. ☞ Hæc fabula innuit, deuitandos eos amicos, qui periculoso in tempore ab auxilio præstando reuocant pedem.

DE ADOLESCENTIBVS ET COQVO.

DVo adolescentes obsonium à coquo mercati cõmuniter erant. Cæterum cũ coquus quibusdam negocijs domesticis intenderet, uacaretq;, alter adolescentum partem obsonij in alterius sinum immisit. Conquerenti, qui carnem sustulerat, iurabat se non habere. Qui uero habebat, iurabat se non abstulisse. Quibus coquus, intellecta adolescentum astutia, inquit, Et si me latet fur, tamen eum quem iurastis Deum, non latebit. ☞ Hæc fabula innuit, quod si homines cælamus, Deum nequaquam cælare poterimus.

DE ARVNDINE ET OLEA.

DIsceptabant arundo & olea de constantia, de fortitudine, & de firmitate, & olea quidẽ probra

bra arundini ingerebat, ut fragili & ad omnem uentũ uacillanti. Arundo autem obticebat, non longum tempus expectans. Nam cum uentus uehemens ingruisset, arundo agitabatur, refellebaturq;, olea uero cum uiolentiæ uentorum reluctari uellet, confracta est.

☞ Hæc fabula innuit, eos qui ferocioribus ad tempus cedunt, potiores esse ijs, qui non cedunt.

DE TVBICINE.

ERat tubicen, qui in militia signũ caneret. Is interceptus ab hominibus, ad eos qui circumsistebant proclamabat, Nolite me, ô uiri, innocuum insontemq; occidere, nullum enim unquam ego occidi. Quippe nihil aliud quàm hanc tubam habeo. Ad quem illi uicißim cum clamore responderunt. Tu uero hoc ipso magis trucidaberis, quod cum ipse dimicare nequeas, cæteros potes ad certamen impellere.

☞ Hæc fabula innuit, quod præter cæteros peccant, qui malos & importunos princeps persuadent ad iniquè agendum.

AVceps quidam sumptis aucupatorijs retibus, ad uenandũ proceßit, uisoq; palumbo in cacumine arboris sedente, cõpositas artificiose arundines cum reti ad auem clanculum admouebat, sperans illam se uenari posse. Quod cum agit, in altum intuens, iacentem uiperã pedibus preßit, quæ exasperata dolore hominem momordit. At ille iam diffidens, me miserum

inquit, qui cum alterum uenari uolo, ipse ab altera captus pereo.

☞ Hæc fabula innuit, fraudulentos homines insidias suas occultare. Sæpe tamen ab alijs idem sustinere.

DE CASTORE uirilia sibi amputante.

CAstor præter cæteros quadrupes in aqua durare dicitur, eiusq; genitalia ad artem medicam sanè uirilia esse. Tunc ubi uidet indagantibus hominibus captũ iri (nõ enim ignorat, quamobrẽ indagetur) ipse sibi genitalia præcidit, eaq; ad insequentes proijciens, hoc modo imcolumis euadit. ☞ Hæc fabula innuit, huius exemplo prudentes debere pro adipiscenda salute, nullam rationem habere fortunarum.

DE THYNO ET DELPHINO.

THynus dũ delphinum insequentẽ præcipiti cursu fugeret, & iamiam capiendus esset, in anfractũ quendã se intrusit. Delphinus quoq; ad alterũ similem impetu ipso illisus est, ad quẽ thynus respiciens, iamq; expirantem uidens, inquit, iam mihi mors non est molesta, uidens eum, qui mihi causa mortis est, mecum morientem. ☞ Hæc fabula innuit, æquo animo ferre homines calamitates, cum eos, propter quos in calamitate sunt, calamitosos aspiciunt.

DE CANE ET LANIONE.

CAnis quidam insilijt in macellũ, Lanio in aliqua re occupato, & erepto pecoris corde fugiebat,

Ad

Ad quem lanius cõuersus, fugientemq; aspiciens, inquit, O canis, ubicunq; fueris te obseruabo, non enim sustulisti, sed mihi cor dedisti. ☞ Hæc fabula innuit, iacturam semper esse hominibus doctrinæ.

DE VATE QVODAM.

VAticinator quidam in foro sedens sermocinabatur, cũ quidam sibi denunciat fores domus eius effractas esse, omniaq; direpta quæ in domo fuissent. Ad quod nuncium uaticinator gemens propera nsq; cursu, se domum recipiebat. Quem currentem quidam intuens, ô tu inquit, qui aliena negotia te diuinaturum promittis, certè tua non diuinasti.

☞ Hæc fabula ad eos spectat, qui res suas non rectè administrantes, alienis quæ nihil ad eos pertinent, prouidere & consulere conantur.

DE AEGROTO ET MEDICO.

AEgrotus quidam à medico interrogatus, quo nã modo se habuisset, præter modũ respõdit in sudorem se fuisse resolutum, cui medicus, istud inquit, bonum est. Altero autem die iterum interrogatus, quo nam modo se haberet, respondit, algoribus correptus diu uexatus sum, & id quoq;, medicus inquit, bonum est. Tertio cum ab eo medico interrogaretur, respondit, profluuio corporis debilitatus sum. Istud etiam bonum est, inquit medicus. Postea autem à familiari quodam interrogatus, quomodo habes ô amice? respondit

etiam atq; etiam benè habeo, sed morior. ☞ Hæc fabula innuit, arguendos assentatores.

DE ASINO ET LVPO.

ASinus calcato ligni aculeo claudicabat, conspectoq; lupo ait, O lupe, en præ cruciatu morior futurus esca aut tua aut uulturum, aut coruorum, Vnum modo abs te munus flagito, educ prius de pede aculeum ut moriar saltem sine cruciatu, Tunc lupus summis dentibus aculeum mordicus prehendens eduxit. Asinus uero doloris oblitus, ferratos calces in faciē lupi impegit, fractisq; illius fronte, naribus, dētibus, aufugit, lupo seipsum accusante, ac merito sibi id euenisse dicente, quòd qui didicerat esse lanius iumentorū nunc illorum uolebat esse chirurgicus.

☞ Hæc fabula innuit, quod qui sua artificia deserunt, transferentes se ad alia ipsis non apta, et in detrimentum ueniunt, & in discrimen.

DE AVCVPE ET MERVLA.

AVceps tetenderat uolucribus retia, quod eminus intuens merula, percōtabatur hominē quid negotij ageret. Ille respondit, se condere urbem, abijtq; longius, & sese abdidit. Merula uero illius uerbis fidem habens, & accedens ad escā iuxta retia appositā, capta est, accurrenteq; aucupe, inquit, ô homo, si tu quidem talem urbē condis, haud multos iuuenes habebis incolas. ☞ Hæc fabula innuit, eo maxime modo

rem

rem priuatam & rempublicam destrui, cum præsides sæuitiam exercent.

DE VIATORE ET PERA INVENTA.

VIator longum ingressus iter, uouit si quid inuenisset, eius dimidium Ioui se oblaturum. Inuenta aũt postea in itinere pera, palmularum amigdalarumq; plena, comedit omnes palmulas amigdalasq;. Sed harum nucleos, illarum putamina, & cortices ad aram quandam obtulit, inquiens, habes Iuppiter quod tibi uoueram, quod enim inueni; eius & interiora & exteriora tibi offero. Hæc fabula innuit, auarum propter pecuniæ cupiditatẽ etiã Dijs moliri fallacias.

DE PVERO ET MATRE.

PVer quidam in schola cõdiscipulo furatus tabellã alphabetariam, attulit matri suæ, à qua non castigatus, quotidie magis furabatur. Procedente aũt tempore cœpit furari maiora. Tandẽ à magistratu deprehensus, ducebatur ad supplicium. Matre uero sequẽte ac uociferante, rogauit ille satellites, ut paulisper cũ ea ad aurẽ loqui permitterent, quibus permittẽtibus, et matre festinabunda aurẽ ad os filij admouente, ille auriculam matris dentibus euulsit, & cũ mater cæteriq; increparent nõ modo ut furẽ, sed in parentẽ suam impiũ, inquit, hæc mihi ut perderer, causa extitit. Si enim me tabellam alphabetariam furatũ castigasset, nequaquam ad ulteriora progressus, nunc ad supplicium ducerer.

Hæc

☞ Hæc fabula innuit, quod qui inter initia peccandi non coercentur, ad grauiora flagitia euadunt.

DE PASTORE ARTEM nauticam exercente.

PAstor in loco maritimo gregem pascebat, qui cũ uideret mare tranquillum, inceſit cupido nauigationem faciendi ad mercatũ. Itaq; uenundatis ouibus, emptiſq; palmarum ſarcinis, nauigabat. Oborta autem uehementi tempeſtate, & naui mergi periclitante, omne pondus nauis in mare deiecit, uixq; euaſit exonerata naui. Paucis poſt diebus ueniente quodam & tranquillitatem maris admirante (erat enim ſanè tranquillũ) reſpondens inquit, palmulas iterum uult, quantum in ligo, ideoq; immotum ſeſe fore oſtendit.

☞ Hæc fabula innuit eruditiores effici homines damno atq; periculo.

DE FILIO CVIVSDAM ſenis & leone.

FIlium ſenior quidam habebat unicũ, generoſi animi, & uenaticorum canum amatorem, hunc perquietem uiderat à leone trucidari. Territus, ne forte ſomniũ hoc aliquando ſequeretur euẽtus, extruxit domum quandam quàm politiſſimam, & laquearibus ac feneſtris amœniſſimam. Illuc inducens filiũ, aſſiduus illi cuſtos inhærebat. Depinxerat enim ea in domo ad oblectationem filij, omne animaliũ genus, in quibus & leonem

nem. Adolescens hæc inspiciens eò amplius molestiæ cõ trahebat. Quadã autem uice propius stãs leoni inquit, ô truculentissima fera, propter te, & mane somnium patris mei, in hac domo asseruor, uelut in carcere. Quid tibi faciam? & hæc dicens, manum parieti incussit, oculum leoni eruere uolens, & in clauo, qui illic latebat, offendit, qua ex percussione manus emarcuit, succreuitq; sanies, & febris subsecuta est, breuiq; tempore adolescens est mortuus. Ita leo adolescentem occidit, nihil adiuuante patris sophismate.

☞ Hæc fabula innuit, quæ uentura sunt deuitare posse neminem.

DE CALVO CRINES EXTERnos gerente, pro natiuis.

CAluus quidam mentitos crines gerens, cum equo uehebatur, ecce sibi ualidior uentus illos de capite sustulit. Risus statim magnus à circumstãtibus excitabatur, et ille mutuo risu ad illos inquit. Quid mirum si crines, qui non erant mei, à me recesserint, illi quoq; recesserunt, qui mecum fuerant nati.

☞ Hæc fabula innuit, non debere nos mœrere ob amissas opes. Quod enim nascentes á natura non accepimus, id non potest nobiscum perpetuo permanere.

FINIS.

Æsopi

ÆSOPI

FABVLATORIS CLARISSIMI Apologi, è Græco latini per Rinicium facti.

ARGVMENTVM.



ESOPVS FABVLAtor clarissimus, natione quidem Phrygus, fortuna uero seruus fuit, colore niger, ac facie supra modum deformis. Is quia beneficus semp in hospites fuit, Dea hospitalis in somnis sibi assistens largita est loquelam (nam ab initio blatero fuit) sapientiamq;, ac uariarum fabularum inuentionem, quæ porro fabulæ non parum conducunt mortalium uitæ, nam animalia bruta fingit agere ea, quæ hominum sunt actiones, quas ita ante oculos ponit, quod audientium animos incitat ad uirtutem, nec ulli sunt hominum mores, quos in brutis fingendos ipse nõ aperiat. Has igitur fabulas, si quis rite gustauerit, quam uiam sequi, quamq; uitare debeat, in priuatis publicisq; negocijs facilè comperiet. Nam in primis fabulam narrat, tum quid fabula significat, compendiosius exponit, atq; ordinem alphabeti in græco secutus, qui in latino sermone seruari non potest hinc sumit initium.

DE AQVILA ET VVLPE.

AQVILA ET VVLPES CONFLAta inter se amicitia, in proximo habitare constituunt, firmiorem amicitiam ex frequenti cõuersatione fore putantes. Igitur aquila nidum alta super arbore instituit. Vulpes uero arborem propter, inter dumeta catulos collocat, Vna igitur dierum cum uulpes latibulum egressa, pastũ catulis quæreret, aquila & ipsa cibi indiga, in latibulum deuolans, uulpis catulos arripuit, ac pullis suis comestum præbuit. Vulpes reueniens, cognita filiorum morte atroci, ualde tristata est, & cum aquilam ulcisci non posset, quia quadrupes existens, uolucrem persequi nequibat, quod unum miseris ac impotentibus datur, aquilã excerat, ac mala sibi imprecatur, tantum in odium cum uiolatur uertitur amicitia. Contigit igitur illis diebus ruri capras immolari, cuius frustum unà cũ carbonibus accensis aquila arripiens, sustulit ati nidum, sed uento uehementius spirante, nidus qui ex fœno ac materia exili aridaq; cõfectus erat, incenditur. Aquilæ pulli flammam sentientes, quum uolare adhuc nequirent, humi decidunt, uulpes confestim illos arripiens in aquilæ conspectu deuorat.

☞ Fabula significat, quod qui amicitiam uiolant, quãuis quos læserint, ultionem decliment, Dei suppliciũ non tamen aufugiunt.

DE AQVILA ET CORVO.

AQuila celsa ex rupe deuolans agnum ex omni grege arripuit, quam rem cum coruus conspicatur, æmulatione motus, uehementi cum stre pitu ac stridore deuolat in arietem, atq; ungues in arietis uellus implicat, quod inde etiam motu alarum se explicare non potest. Hunc pastor, cum ita implicitũ uidet, accurrens, coruum comprehendit, atq; alarum pẽnis incisis, pueris suis pro ludibrio dedit. Verum enim cum quispiam coruum rogaret, quæ nam uolucris esset, Coruus ait, prius equidem quod ad animum aquila fui, nunc uero me coruum esse certè cognosco.

☞ Fabula significat, quòd qui supra uires quippiam audet, hoc solum efficit, quod in aduersa sæpius incidit, ac se uulgo ridiculum exhibet.

DE AQVILA ET SCABRONE.

AQuila leporem persequebatur, at lepus auxilij inops, quem tempus obtulit scabronem uidens, ab eo auxilium implorauit, cui sedulo pollicitus est tutelam ac custodiam suam. Deinde cum aquilã propinquantem scabro conspicatur, eam præcatur, ne suum eripiat sibi seruũ. At aquila scabronis paruitatem cõtemnens, eo coram leporem exedit. Verum scabro suæ iniuriæ memor, ubi aquila nidificaret, obseruat. Ecce aquila oua parit, scabro alis elatus, ad aquilæ nidum uolat, atq; oua deuolutus humi deijcit. Aquila iacturã

ouo-

uorum mœrore concita, euolat ad Iouẽ (est enim ales Deo illi sacra) ac locum ad pariendum sibi tutum dari precatur. Iuppiter sibi concedit, ut cum tempus adest, eius in sinu pariat oua. Hoc scabro prouidens, globum è stercore cõficit, atq; sursum euolans, in Iouis sinũ demisit. Iuppiter uolens è sinu globum excutere, oua aquilæ simul excussit. Et tunc aiunt aquilã nunquam parere, quo tẽpore scabrones existunt. ☞ Fabula significat, qđ nullus est contemnendus, quoniã nemo est qui iniuriã accipiat, quin cũ tẽpus datur, se ulcisci quærat.

DE PHILOMENA ET ACCIPITRE.

PHilomena, cum alta quercu sederet, more suo sola canebat, eam accipiter cibum quæritans cum intueretur, repente euolat, illamq; rapit. At Philomena cum se interitum iri uidet, accipitrẽ precatur, ut se missam faciat, quoniam ad explendum eius uentrem ipsa satis minimè sit, sed pro saturitate sua, ad maiores aues ut se uertat, opus profecto fore, eam accipiter torue conspiciens ait, Stultus equidem nimium essem, si quem manibus teneo cibum, illum dimitto, amplioris spe pastus. ☞ Fabula significat, quod qui omittunt id quod manu tenent, rerum maiorum spe, cõsilio inopes ac ratione nimium sunt.

DE VVLPE ET TRAGO.

VVlpes & tragus sitientes in puteum descenderunt. Verum enim post potum, cum egressum

conspiceret hircus, vulpes ei comiter ait, bono sis animo meam quid saluti nostræ opus, probè animaduerti. Si enim rectus stabis, ac pedibus anterioribus cornibusq; muro adhærebis, tuas ego scapulas cornuaq; cõscendẽs, cum egressa puteum fuero, te manu cõprehendens hinc desuper trahã. Huic caper prõptè deseruiuit, vulpes suo exultans egressu, circa os pel caprõ illudebat. At dum caper illam incusat, sibi pacta haud seruasse, ei facetè vulpecula inquit. Si ea caper sapiẽtia præditus esses, quo pilorum ornatu istæc tua barba referta est, non prius puteum descendisses, quàm egressus pensiculatè uidisses. ☞ Fabula significat quod homines consilio præditi, rerum fines prius inspiciunt, quàm dent operam rebus gerendis.

DE VVLPE ET LEONE.

VVlpes quæ nunquam uiderat leonem, cum illi forte obuiasset, adeo pertimuit, ut mortem penè obirer. Rursum illum cum aspexisset, pertimuit, sed minimè ut primum. Eam tertio cũ intuetur, propè accedens, fuit ausa coram disserere.

☞ Fabula significat, quod rerum terribilia usus & consuetudo domestica facit.

DE CATO ET GALLO.

CAtus cum gallũ cœpisset, atq; causam quæreret, qui eum comedere posset, illum criminari cœpit quod esset animal turbulentum, qui noctu clamitando

tando haud permitteret quiescere mortales. Gallus se excusabat, quod id ageret ad eorum utilitatem, cum ad opera faciendà illos excitaret. Rursus catus ait, impius es ac supra modum sceleßus, qui agis continuo contra naturam, cum nec à matre, nec à sororibus te abstineas, sed per incontinentiam cum illis te commisceas. Gallus item defendebat, quod domini sui quæstus gratia id quoq; ageret, cnimuero ex huiusmodi coitu gallinæ pariunt ouà. Tunc inquit catus, excusationibus licet abundes, ego tamen ieiunare haud intendo.

☞ Fabula significat, quod qui prauus exiſtit natura, cum semel delinquere animo proposuit, quamuis cauſſæ desit prætextus, à prauitate tamen non desistit.

DE VVLPE SINE CAVDA.

VVlpes ut è laqueo euaderet, abscißa cauda cum è pudore uitam sibi mortem putaret, excogitauit alias dolo inducere uulpes, ut sub communis commodi specie sibi singulæ caudam abscinderent, & sic suum dedecus leuaret. Itaq; ad unum uulpibus congregatis suadet, ut caudam sibi abscindant, disserens, caudam nõ modo dedecori uulpibus esse, sed oneri grauiatq; inepto. Euulpibus ei una facetè respondit, Heus soror, si res ista tibi soli conducit, tum itidem alijs consulere haud est æquum.

☞ Hæc fabula ad eos spectat, qui sub charitatis specie suum commodum consulendo prospiciunt.

DE PISCATORE & Smaride pisciculo.

Piscator quod mari rete tetẽdit, eo Smarida cœpit pisciculum, qui parua adhuc ætate piscatorẽ orabat, ut dum grandis esset, atq; maiorem quæstum ex ea assequi posset, eam uita donaret. Huic piscator lepidè respondit. Ego quidem mente carerem, si quod mihi nimũ mihi est lucrũ, id dimitterẽ amplioris spe quæstus. ☞ Fabula significat, quod certa pro incertis, quãuis magna in eis insit spes, stultũ est dimittere.

DE VVLPE ET RVBO.

VVlpes cum sepem quendam ascenderet, ut periculum uitaret quod sibi imminere uidebat, rubum manibus comprehendit, atq; uolam sentibus profudit, & cum grauiter saucia foret, gemens inquit ad rubum, ut me iuuares cum ad te confugerim, tu deterius me perdidisti. Cui rubus, errasti uulpes, ait, quæ pari dolo me capere putasti, quo cætera capere consueuisti. ☞ Fabula significat quod stultum est implorare auxilium ab illis, quibus à natura datũ est obesse potius quàm alijs prodesse.

DE VVLPE ET CROCODILO.

VVlpes et Crocodilus de nobilitate contendebãt, cum Crocodilus multa pro se adduceret, ac supra modum se iactaret de splendore progenitorum suorum. Vulpes ei subridens, ait. Heus amice, & si hoc tu quidem non dixeris, ex tuo corio clare apparet, quod

quod multis iam annis tuorum splendore fuisti denudatus. ☞ Fabula significat, quod homines mendaces res ipsa potissimum refellit.

DE VVLPE ET VENATORIBVS.

VVlpes uenatores effugiens, ac per auia currendo iam defessa, hominem casu reperit lignarium, quem rogat ut se quoquo loco abscondat, Ille tectorium sibi ostendit. Vulpes illud ingrediens in angulo quodam se abscondit. Adsunt uenatores, lignarium si uulpem uiderit rogant. Lignarius uerbis quidem uidisse negat, manu uero ubi uulpes latebat locum ostendit. Verum enim uenatores re haud percepta, statim abeunt. Vulpes ut illos abijsse prospicit, tectorio egrediens, tacite recedit, lignarius uulpem criminatur, quod cũ saluã fecerit, nihil sibi gratiarum agat. Tunc uulpes se cõuertens illi facete ait, heus amice, si manũ, opera, ac mores uerbo similes habuisses, meritas tibi persoluerẽ gratias. ☞ Fabula significat, quod homo nequam, & si bona pollicetur, mala tamen & improba præstat.

DE GALLIS ET PERDICE.

GAllos quamplures cum quis domi haberet, quam emerat perdicem, illis compascere permisit. Sed cum galli illã infestarent, rostrisq; percuterent, perdix ea iniuria uehementer perdoluit, putãs quia aduena, nec eo genere esset, eas sibi inferre iniurias, Gallos deinde cum ad inuicem certantes cõspiceret, perdix

amota animi perturbatione ait, de cætero equidem haud tristabor, posteaquã inter eos odiosa certamina cerno.

☞ Fabula significat, quod homines sapientia præditi, moderato animo ferunt iniurias ab his uel maximè sibi illatas, qui nec sibi, nec suis parcere sciunt.

DE VVLPE ET LARVA.

VVlpes citharœdi domum ingressa, dum quæ domi parata sunt, sagaciter explorat, laruæ caput reperit arte industriosa compositum, quod manibus capiens ait, ô quale sine cerebro caput.

☞ Hæc fabula significat, quód nõ omnes corpore decoro, eandem animo habent pulchritudinem.

DE HOMINE ET LIGNEO DEO.

HOmo quidam Deum ligneum domo habens, eum orauit, ut boni quippiam sibi tribueret, sed quanto magis orabat, eô res domi angustior erat, denum ille concitus ira, Deum cruribus capit, et caput parieti percutit, illi excisо igitur capite, multum auri exiliit, quod homo colligens ait, peruersus nimium es, atq; perfidus, qui dum in honore tè habui, nihil equidè profuisti, percussus uero ac uerberatus, boni plurimum cõtulisti. ☞ Fabula significat, quod homo nequam, si quando prodest, id efficit ui coactus.

DE CANE AD COENAM VOCATO.

VIr quidam cum cœnam opiparam parasset, amicum quendã domũ uocauit. Eius quoq; canis ca-

nem

nem alterius ad cœnam inuitauit. Is domum ingressus, cum tantum dapium uidet apparatum, lætus ipse ait, Hodie porro ita me explebo, quo die crastino comedere non indigebo. Hisq; dictis motu caudæ applaudit. Coquus uero eum conspiciens, tacitus per caudam capit, atq; illum sæpius rotans, per fenestram proiecit. Ille attonitus humo assurgens, dum clamando aufugit, cæteri canes sibi occurrũt, atq; rogitant quàm opipare cœnauerit. At ille languens ait, Ita potu ac dapibus me explcui, quod cum exiuerim, uiam non uidi.

☞ Fabula significat, quod quibus rebus quis doliturus est, rebus illis lætari non debet.

DE AQVILA ET HOMINE.

AQuilam homo quidam cum cœpisset, pẽnis alarum sibi euulsis, inter gallinas morari dimisit. Eam deinde quidã mercatus, pennis alas denuo munit, tum aquila uolans leporem capit, fertq; illum benefactori suo. Quam rem conspiciens uulpes, hominiait, noli hanc aquilam sicuti prius hospicio habere, ne ceu leporem te æquè ueneretur. Tum homo aquilæ item pennas euulsit.

☞ Fabula significat, quod benefacientes sunt quidem remunerandi, improbi uero omni studio uitandi.

DE VIRO AGRICOLA.

HOmo quidam agricolator existens, cum finem uitæ sibi adesse cognosceret, cuperetq; filios

in agrorum cultu fieri peritos, eos uocauit, atq; inquit, Filij, ego è uita discedo, bona mea in uinea consita sunt omnia. Illi post patris obitum putantes in uinea thesaurum quẽdam reperire, assumptis ligonibus, marris ac bidentibus, uineam funditus effodiunt, nullumq; thesaurum inueniunt. Verum enim uinea cum probe effossa foret, longè post plures solito fructus produxit, atq; illos diuites fecit. ☞ *Fabula significat, quod labor assiduus thesaurum parit.*

DE CARBONARIO ET LOTORE.

CArbonarius lotorem quendam rogauit, ut quam precio cõduxerat domum, secum pariter cõhabitaret. At lotor rei alias expertus, ait, id conducibile haud mihi esset, nam quæ albificarem, ea omnia carbonum fauillis ipse maculares.

☞ *Fabula significat, quód res natura dissimiles stare simul commodè non possunt.*

DE VVLPE ESVRIENTE.

VVlpes ingenti fame concita, cum quodam in tectorio carnis frustum ac panem reposita prospiceret, tectoriũ ipsum intrauit, atq; tantũ comedit, quod ad ingentem tumorem uentrem distendit, & cum ex nimia uẽtris tumefactione inde egredi nequiret, tumens gemebat. Eius gemitum uulpes alia transiens illac cum audiret, illuc accedit rogatq; quid nam gemeret, deinde causam gemitus edocta, lepide ait, istic manendũ

nendum est usq; dum eo tenuis efficiaris, quanta eras cũ intrasti. Nam eo pacto facilè egredieris.

☞ *Fabula significat quod nihil est tam durum quod tempus non dissoluat.*

DE PISCATORE QVODAM.

PIscator quidam piscandi inexpertus, tibijs ac reti assumptis iuxta mari littus accedit, atq; saxo quodam superexistens, in primis tubicinare cœpit, putans cantu se pisces facilè esse capturum, Verum cantu cum nullum consequeretur effectum, depositis tibijs rete in mare demittit, ac pisces cœpit complures. Sed cum ex reti pisces extraheret atq; eos saltantes perspicerct, non insulse ait, ô improba animalia, dum ad tibiã cecini, saltare noluistis, nunc quia canere cesso, saltus datis assiduos. ☞ *Hæc fabula significat, quod omnia probè fiunt, quæ fiunt tempore suo.*

DE PISCATORIBVS QVIBVSDAM.

PIscatores piscatum profecti, diuq; piscãdo defessi, fame præterea ac mœrore quòd nihil cœpissent confecti, cum abire decernunt, ecce piscis quidam alium fugiens se insequentem, in nauiculam saltat, illũ piscatores supra modum læti comprehendunt, ac in urbem reuersi grandi precio uendunt.

☞ *Fabula significat, quod frequentius fortuna id exhibet, quod ars efficere non potest.*

DE VIRO INOPE ET INFIRMO.

HOmo quidam pauper cum ægrotart, Dijs uouit, quod si eo morbo liberarctur, boues centum immolare, quod Dij experiri uolentes, sanitatem illi facilè reddunt. Liber igitur à morbo, cũ boues (quia pauper) non haberet, ossa boum centum collegit, eáq; super altare deponens, lepide inquit. Ecce quod uoui uotum uobis nunc persoluo. At Dij illum ulcisci uolẽtes in somnijs sibi assistunt, atq; inquiunt. Ad maris littus pergito, ibi enim in loco semoto, auri talenta centum reperies. Ille expergefactus, somnij memor, dum pergit ad littus, incidit in latrones, captus itaq; eos rogabat, ut se nãssum facerent, quoniam mille talenta auri persolueret eis. ☞ Fabula significat, quod homo mendax, Deos & homines pariter temnit.

DE VVLPE ET PARDO.

VVlpes cum pardo de pulchritudine contẽdebat, cum uarias corporis notas pardus sibi duceret decori, uulpes ei comiter ait, ego quidem longe formosior sum iudicanda, quæ non corpus, sed animũ uarijs notis habeo notatum. ☞ Fabula significat, quod decor mentis est potior omni corporis ornatu.

DE PISCATORIBVS QVIBVSDAM.

PIscatores quidam è mari rete trahebant, quod cũ graue esse sentirent, lætitia gestiũt, putantes multos pisces se habere irretitos, sed ut rete in terrã traxerunt, pisces quidem paucos, saxum uero ingẽs reti messe

et ineſſe cum perſpiciunt, longè triſtantur. Quidam ex illis natu iam grandis non imurbane ſocijs inquit. Animis eſtote quietis, quippe lætitiæ ſoror eſt mœſtitia, oportet enim caſus proſpicere futuros, illoſq; ut leuius quis ferat perſuadere ſibi eſſe euenturos.

☞ Fabula ſignificat, quod qui reminiſcitur ſortis humanæ, in aduerſis animè frangitur.

DE RANIS REGEM PETENTIBVS.

RAnæ mœrentes quod ſine rege forent, Ioui ſupplicatum oratores mittunt, ut regem ſibi dedat. Iuppiter earum ſimplicitatē cognoſcens, lignum in ſtagni medium dimiſit, quod dum in ſtagnum cecidit, eius ſonus ſupra modum terruit ranas, quæ cum lignum eſſe nouerunt, rurſum Ioui ſupplicatum mittunt, ut regem uiuum haud mortuum ſibi dedat, Iuppiter ſtultis earum precibus motus, hydrum illis dedit in regem. Is in diem cum ranas deuoraret. Tertio ranæ Iouem præcātur, ut regem ſæuum atq; immanem ab eis amoueret. Tunc Iuppiter inquit, quē tot precibus regē exoraſtis eum uobis perpetuo habetote.

☞ Fabula ſignificat, quod ſæpe ea precamur, quæ impetraſſe nos poſtea pœnitet.

DE CATA IN FOEMINAM MVTATA.

CAta quædam ſpecioſi cuiuſdam adoleſcētis amore capta, qui Venerem orauit, ut eā in hominem mutaret. Venus illius miſerta, in formam hominis

mutauit,

mutauit eam, quæ cum longè speciosa esset, amator domum subito adduxit. Sed cũ in cubiculo simul sederent, Venus experiri cupiens, si mutata facie, mutasset & mores, in medium constituit murẽ, quem cum illa prospexit, oblita formæ & amoris sui, murem ut caperet persecuta est. Quæ super re Venus indignata, denuo eã in priorem cãtæ formam mutauit.

☞ Fabula significat, quod homo nequam licet personam mutet, mores tamen retinet eosdem.

DE SENE MORTEM uocante.

SEnex quidam lignorum fascem super humeros ex nemore portans, cum longa uia defessus esset, fasce humi depositio mortem uocauit, ecce mors aduenit, causam quamobrẽ se uocarit, interrogauit, Tunc senex, ut hunc lignorum fascem super humeros mihi imponeres ait. ☞ Fabula significat, quod quisquis uitæ cupidior est, licet mille subijciatur periculis, mortẽ tamen semper deuitat.

DE MVLIERE ET MEDICO.

MVlier anus cum ophthalmiam pateretur, medicum ad se curandũ accersit, certũ precium sibi dare promittens, si eo morbo curaretur, si uero non liberaretur, nihil ei debere pacta est. Medicus uero, quoties illam ibat curatum, toties quippiã è domo clam exportabat. Mulier igitur ophthalmia curata, cũ nihil suarũ rerum domi esse prospiceret, medico mercedem

dem pactam petenti, soluere denegat. Quamobrem uocata in iudicium, pactum quidem nõ denegat, sed se curatam ophthalmia esse, id uero pernegat, aiens, cum cæca eram domum multa suppellectile refertam uidebam, nunc cum uideo, ut medicus ait, nihil rerum domi esse prospicio.

☞ Fabula significat, quod homines auaritiæ dediti, sibimet sæpius contradicunt.

DE AGRICOLA ET CANIBVS.

AGricola quidam magnitudine hyemis in suburbanis se locauit, sed cũ alimonia sibi deficeret, capris & ouibus primum uesci cœpit. Cum uero in diem magis sæuiret hyems, bobus quoq; nõ pepercit, quod facinus cum animaduertunt canes, inuicẽ uerba faciunt. Quid hìc stamus, inquiunt, cur mortem nobis incumbentem nõ fugimus? putamus ne eum nostræ parcere uitæ, qui alimoniæ gratia boues iugulauit?

☞ Fabula significat, quod eos fugere debemus, qui in charißimos crudeliter sæuiunt.

DE AGRICOLA ET FILIIS.

AGricola quidam quamplures habuit filios cõtinua sedi.tione discordes, ac eius admonitiones, perpetuo negligẽres. Cũ forte unà domi omnes sederent, iußit pater uirgarum fascem corã deportari, atq; natos cœpit hortari, ut integrum fascẽ d frumperent. Cum igitur fascem cum totis uiribus frangere nõ

possent,

possent, genitor præcepit ut soluto fasce, singulatim frangerent uirgas, cum quisq; facilè hoc perficeret, tũc facto silentio pater ait eis, si quando animis idem sentietis, nati mihi charissimi, nec ab inimicis superari poteritis, Sed si inter uos seditiones seruabitis, qui uolet, is facilè uos perdet.

☞ Fabula significat, quòd fortior est unio, quàm sedatio, quæ est imbecillis.

DE MVLIERE ET GALLINA.

VIdua quædam mulier gallinam habebat, quæ die quolibet pariebat ouum, putauit mulier more ingenij humani, quòd sitis habendi semper sollicitat, gallinam illam die bis pariturã, si plus speltæ traderet ei solito. At gallina pluri alimonia pinguior facta, id unum desijt parare ouum. Sic mulier ex quo maius lucrũ quærit abat, id cæca augendi cupiditate amisit.

☞ Fabula significat, quod plurima cupiditate rerum, præsens quandoq; deperditur quæstus.

DE HOMINE ET CANE MORSO.

HOmo quidã cum eum canis momordisset, summo cũ studio sciscitabatur, à quo sanari posset quidã sibi obuiã factus, atq; de medico rogatus ait, si uis amice fieri sanus, non est tibi opus medico. Nam si canis qui te momordit, à uulnere lingua sanguinem terget, ista cura nihil potius reperiri potest. Alter arridẽs uenustissimè inquit, si huiusmodi utor remedio in diem magis

magis ac magis à canibus mordebor. ☞ Fabula significat, quòd ab hominibus nequam incommoda pro commodis, & mala pro beneficijs, retribui solent.

DE DVOBVS AMICIS ET VRSA.

AMici duo dum rus uiarunt, ursa eis obuiam occurrit, qua prospecta, alter eorum territus, ut se saluaret, continuo arborem ascendit, alter cum ursæ uiribus posse obsistere dubitaret, uti mortuus humi iacuit resupinus, retinens flatum atq; anhelitum, cum nec ore nec naso respiraret, ursa eum exanimatũ existimans abijt. Dicunt enim à cadauere ursas omnino se abstinere. Alter deinde ex arbore descendens, quid in aurem sibi dixerit ursa, socium rogauit. Ille urbano sermone respondit, admonitus sum ab ursa, ut cum huiusmodi amicis non proficiscar amplius.

☞ Fabula significat, quod eorum amicitia colenda nõ est, qui cum opus est, amicis subsidia denegant.

DE ADOLESCENTIBVS duobus & coquo.

ADolescentuli duo æquis sumptibus carnes coemerunt, & curatum coquo tradiderunt. Obiter coquus dum alijs uacat negocijs, alter iuuenum carnes eas clanculũ accepit, ac socio tradidit. Coquo deinde carnes quæritãti, qui acceperat, se haud habere iurat, qui uero habebat, se non accepisse iurabat, coquus percepto iuuenũ dolo ait, Et si fallor equidem à uobis, per quem uero iurastis, res ipsa nõ latebit Deum.

Fabula

☞ Fabula significat, nullum scelus posse latere Deũ.

DE DVOBVS INIMICIS.

DVo quidã gladiatorio animo inter se inimicitias habentes, unà in naui nauigabant, & cum alter eodem in loco stare cum altero non pateretur, unus in puppi, alter in prora consedit. Orta autẽ tempestate, cum nauis periclitaretur, qui in prora sedebat, rogat nauis gubernatorem, quæ pars nauis submergi prius deberet, & cum gubernator puppim dixisset, ait ille. Mors mihi modo molesta minimè est, si inimicu meũ prius mori prospicio ☞ Fabula significat, qđ inimicus, ut inimicũ pdat, seipsum perdere sæpius eligit.

DE CALAMO ET OLIVA.

QVæ nã esset fortior, durior & magis resistẽs canna & oliua inuicẽ cõtendebant, oliua calamo humilitatem obijciebat, eó quod uentis facilè cederet. Huic dicto unum arundo haud reddidit uerbum. Paulo post turbine uehementi aspirans uentus radicitus euulsit oliuam, totis uiribus sibi obsistentem. At canna flatibus se inclinans, salutẽ facilè est assecuta. ☞ Fabula significat, quod potentioribus sine controuersia mos est in tempore gerendus.

DE VITVLA ET BOVE.

VItula cum bouem arãtem prosp ceret, illũ præ se quæ nihil agebat contempsit. Sed cum immolationis affuit dies, bos quidem missus, uitula

uero

uero ut immolaretur retenta est. Quam rem bos cum conspicatur, subridens ait, heus uitula, ideo non laborabas, ut immolareris. ☞ Fabula significat, quod ociosis & nihil agentibus, pericula quoq; imminent.

DE PVERO ET FORTVNA

CVm puer quidam iuxta puteum dormiret, fortuna illuc accedens illum excitauit, inquiens, surge, & hinc ocyus abi, quippe in puteum si caderes, non tuam inscitiam, sed me fortunam omnes accusarent. ☞ Fabula significat, quod frequenter pericula culpa nostra incurrimus, deinde fortunam accusamus.

DE MVRIBVS ET CATO.

DOmo quapiam quod perplures forēt mures, catus præsentiens, illuc accessit, atq; nunc unum nunc alium capiens, complures interimendo comedit. Verum mures cum se in diem consumi perciperent, ad unum coacti inquiunt secum, de cætero inferius non esse descendendum, si nolumus perditum iri omnes, sed hic superius manendum, quo catus ascendere non potest. At catus consilio murium percepto, simulans se mortuum esse, posterioribus pedibus se ad palū suspendit, qui fixus parieti erat, è muribus quispiam deorsum acutè prospiciens, ut catum esse dignouit, haud infacete ait. Heus amice, & si te follem esse certo scirem, deorsum minimè descenderem.

☞ Fabula significat, quod uir prudēs semel si fallitur,

fictis & simulatis hominibus non amplius fidit.

DE SIMIA ET VVLPE.

APud brutorum animalium concilium simia ita appositè saltauit, quod omnium fere consensu rex statim fuit creatus. At uulpes inuidens ei, ubi uiderat carnes laqueo in fouea sitas, illuc simiam ut duxit, inquit ad eam, Hic thesaurus absconditus est, qui ex lege pertinet ad reges, quare cũ tuus ex lege sit, tute ipse capias illum. Simia uulpis suasu illuc temerè accedens, ut se captam laqueo sensit, uulpem acriter accusat, quæ dolo se deceperat. Ei uulpes haud illepidè ait, heus stulta, quæ cum fortuna te extulisset, dominari cæteris iam te putabas dignam.

☞ Fabula significat, quod qui temerè quippiã aggreditur, temerè in aduersa incidit, ac uulgo ridiculus fit.

DE CERVO ET LEONE.

CEruus uehemẽti siti cũ uexaretur, ad fontẽ profici scitur, dumq; potat, suã in aquam prospiciens umbram, ualde lætatus est magnitudine cornuum ac ramositate, deinde pedes & crura prospiciens nimium tristatus est. Hæc dum animo uertit, ecce leo apparet, ac cerum persequitur, At ceruus fugã arripiens, leonem per campos longè anteibat. Dicũt enim ceruorum uires cõsistere in pedibus, ac leonis in animo stare robur. Quousq; igitur leo per campos secutus est ceruum, eum assequi non potuit. Casu uero contigit, ceruum

uum nemus intrare, ubi cornibus ad ramos implicitis, dum fugere non posset, à leone captus, cum se morituru uideret, heu me miserum, inquit, qui cornibus gauisus, ipsis cornibus pereo.

☞ *Fabula significat, quod quæ putamus nobis profu- ea nobis sæpius obsunt.*

DE AGRICOLA ET PELARGO.

AGricola laqueos in agro tetendit, ut grues & anseres uenaretur, qui sata sua continuo depascebant. At simul cum illis uenatus est pelargũ, qui pede tentus, rogat agricolam, ut cum soluat, missumq; faciat, cum nec sit grus, nec species anser, sed pelargus, auium pissimus, qui parentibus semper deseruit, nec illos in senecta deserat unquã. Ei agricola subridens ait. Quæ dicis haud me fugiunt, nam qui sis, probè teneo, sed his simul captus cum sis, his quoq; simul est moriendum. ☞ *Fabula significat, quod qui cum improbis quopiam deprehenditur crimine, pari pœna plectitur cum illis.*



DE AGNO ET LVPO.

AGnus in domo benè clausa existens, cum lupum ad se uenientem perspicit, illum conuitijs & maledictis persequitur. At lupus inquit ei, non tu, sed locus inaccessibilis mihi conuitia dicit.

Fabula significat, quod locus & tempus faciunt timidos persæpe audaces.

DE IOVE ET CORVO.

IVppiter uolatilibus regem creare uolens, diem concilij auibus indixit, ut qui speciosior esset, rex sibi constitueretur. Quam rem præsentiens coruus, ac suæ deformitati conscius, pennis aliorum hinc inde collectis se decorauit, ac speciosissimum omniū se reddidit. Adest dies præfinitus, ueniunt ad concilium aues. Iuppiter coruum ob pulchritudinem cum regem auibus creare uellet, id aues indignè ferentes, quæq; suas coruo extrahunt pennas. At coruus alienis pennis cum esset exutus, coruus ut erat, demum remansit.

☞ Fabula significat, quod qui rebus pendent alienis, illis amissis, quisnam ipse sit, cuiq; liquido patet.

DE TVBICINE QVODAM.

TVbicen quidā tubæ sonitu pugnatum ciebat exercitum. Ab hostibus deinde per insidias captus, miranda uoce clamabat. Ne abs re ac frustra occidere me uelitis, ego quidem nō pugno, nec præter tubam quippiam aliud possideo. Qui cum uinctum ducebant, huiusmodi uerba contra reddiderunt. Hanc ob rē morte dignior es iudicandus, quod cum hostibus manum conferre deuitas, alios sonitu ad pugnam hortaris.

☞ Fabula significat, quod grauiori pœna sunt iudicādi, qui cum ipsi iniuriam non agant, alios ad iniuriam agendam impellunt.

DE FABRO ET CANE.

Faber

FAber quidam catulum habebat, qui dum ipse ferrũ cuderet, continuè dormiebat. Cum uero manducabat, canis statim surgebat, & quæ sub mensa erant deiecta, ceu ossa & alia huiusmodi, sine mora corrodebat, quam rem animaduertens faber, ait ad canem, heus miser quid faciam nescio, qui dum ferrum cudo, continuè dormis & segnitia teneris. Rursus cum dentes moueo, statim surgis, & cauda mihi applaudis.

☞ Fabula significat, quod secordes & somnolenti, qui ex aliorum uiuunt laboribus, graui censura sunt coercendi.

DE MVLA.

MVla quædã nimio ordeo pinguis effecta, nimia pinguedine lasciuiebat, secum inquiens. Pater mihi equus fuit, qui cursu celerrimus erat, & ego ei per omnia sum similis. Parum post contigit, quod oportuit mulam quantum potuit currere, sed cum cursu cessauit, heu me miseram inquit, quæ equi filiam me esse putabam, at nunc memini asinum mihi patrem fuisse.

☞ Fabula significat, quod stulti in ꝓsperis seipsos dediscũt, sed in aduersis suos persæpe recognoscũt errores.

DE THYNO ET DELPHINO.

THynus cum cum delphinus persequeretur, magno elatus impetu ac splendore, à uehementi fluctu in insulam defertur, eundemq; in scopulum à fluctu eodem delphinus dum se putat capere thynũ, ipse quoq;

defertur, thynus conuersus, cum delphinum expirantẽ animam perspicit, secum ipse ait, mors mihi molesta admodum non est, ex quo mortis autorem mori simul mecum perspicio. ☞ Fabula significat, quod quiuis aduersa leuius fert, cum peruersitatum autores eadem aduersitate secum opprimi perspicit.

DE MEDICO QVODAM.

MEdicus quidam, cum quem curaret ægrotum, eum mori contingeret, efferentibus funus aiebat. Vir iste si se uino abstinuisset, & clysterijs usus fuisset, eum mori non contigissent. Ex his qui aderant, quispiam medico haud infacetè ait, Heus medice ista consilia cum quibant, dicenda fuerunt, non nunc cũ nihil ualeant prodesse.

☞ Fabula significat, quod ubi haud prodest consilium, id eo tempore dare, est sane amicum deludere.

DE AVCVPE.

AVceps aucupatum calamis uiscoq; tetendit, & cum turdum canere arboris desuper ramũ aspexit, ut eum caperet, calamos erexit. At inter ambulandum pede altero uiperam calcauit, morsusq; ab ea, cum iamiam ob uenenum se deficere persensit. Heu me miserum, ingemuit, qui dum alium capere festino, alter ad mortem me est aucupatus.

☞ Fabula significat, quod quæ contra alios facere nitimur, ea persæpe ab alijs ipsi patimur.

DE

DE CASTORE.

CAstor est animal quadrupes, qui in paludibus se nutrit, eius testes uarijs medelis utiles esse dicuntur. Itaq; cum quispiam eum sequitur, suæ persecutionis causam non ignorans, ac pedum uelocitati fidens, quantum potest fugit, usquequo ad locum, ne uideatur saluus deueniat, atq; ibi testes excidens, in uenatores cum sibi appropinquant, proijcit. Et isto pacto à uenatoribus se eripit.

☞ Fabula significat, quod sapiens, ut à periculis se eripiat, nihil intentatum deserit.

DE PVERO OVES PASCENTE.

PVer quidam cum oues eminentiori in loco depasceret, sæpius clamabat, heus ô à lupis mihi succurrite. Qui circum aderant cultores agrorum, cultũ omittentes, ac illi occurrẽtes, atq; nihil esse cõperientes, ad opera sua redeũt. Cũ pluries puer id ioci causa fecisset, ecce cũ lupus pro certo adesset, puer ut sibi occurratur serio clamat. Agricolæ id uerũ nõ esse putantes, cũ minimè occurrerẽt, lupus oues facile perdidit.

☞ Fabula significat, quod q cognoscitur mẽtiri, ei ueritas postea nõ creditur. ¶ DE CORVO & uulpe.

COruus cum carnium frustum rapuisset, arborem quandam supersedit, uulpes cum suspiciens, atq; carnes sibi cupiens, illum arte aggreditur, Stans igitur sub arbore, coruũ laudare occipit, aiens, O quam

magna auis est hæc, quàm speciosa, quàm uenatrix, quã formosa, hanc decuit esse auium regem. Nam omnia regia super alias sibi sunt aues, si modo uocem haberet. His laudibus coruus inflatus, & dici mutus haud ualens pati ulteriùs, dum magna uoce crocizat, carnes humi decidunt. Illas cum uulpes rapuisset, conuersa inquit ad coruum, Heus corue, omnia decora tenes, modo mente haud careres. ☞ Fabula significat, quod qui adulatoribus nimium credunt, hi, qui non putant, in aduersa sæpius incidunt.

DE CANE ET LVPO.

CAnis cum ante aulam dormiret, lupus superueniens, eum statim cœpit, & cum ipsum occidere uellet, canis ne eum occideret rogauit, inquiens, here mi lupe, nunc me occidere noli, nam ut uides, tenuis sum, gracilis & macilentus, Sed herus meus nuptias in proximo facturus est, ubi si parum me expectas, ego opipare manducans, atq; pinguior factus, ero tibi melior. Lupus his uerbis fidem habens, canem dimisit. Paucos post dies lupus accedens, cum canem domi dormientem reperit, stans ante aulam canem rogat, ut sibi promissa præstet. Et canis haud ruſtice, inquit, Heus lupe, si ante aulam de cætero me reperieris, haud amplius nuptias expectes. ☞ Fabula significat, quod sapiens cum periculum uitat, ab illo postea continuè cauet.

DE CORVO AEGROTANTE.

Coruus

COruus cum ægrotaret, matrẽ rogauit, ut sua pro sanitate Deos precaretur, inquiens, mater noli plorare, sed Deos potius precare, ut sanitatẽ mihi restituãt. Ei mater scitè rẽspõdit, quẽ Deorũ tibi fore ppitiũ putas, cũ nullus sit, è aiius aris sacra nõ rapueris? ☞ Fabula significat, quod qui in prosperitate quẽuis offendit, in aduersis amicum sibi reperit neminem.

DE CANE CARNES PORTANTE.

CCanis ore ferens carnes, ac flumen transiliens, cũ sub aqua umbram prospexit, putauit alium esse canem, qui plus carnium deferret. Itaq; quas ipse ferebat, eas carnes sub aquas ire demisit, & ut umbram caperet, se mouit, sed carnes & umbram, quæ sanè nihil erant, simul perdidit.

☞ Fabula significat, quod cupiditate plus semper habendi, quæ tenemus, ea sæpenumero perdimus.

DE LEONE ET RANA.

LEo cum ranam magniloquacẽ audiret, putans aliquod magnũ animal esse, se retrouertit, parumq; stans, ranam è stagno exeuntẽ uidit, quam indignabundus statim pedibus calcauit, aiens, nullũ amplius, ut te respiciat animal clamore mouebis. ☞ Fabula significat, q, apud uerbosos, præter linguã nihil reperitur.

DE LEONE SENE.

LEO cum senuisset, nec uictũ sibi quærere posset, uiam machinatus est, qui alimenta haud sibi de-

sint. Ingressus igitur spelunca, grauiter se ægrotare tacens simulabat. Animalia illum uerè ægrotare putantia, uisitandi gratia ad eum accedebant, quæ leo capiens singulatim manducabat. Cum multa animalia iam occidisset, uulpes leonis cognita arte, aditum spelunæ accedens, leonem quo ualeat pacto exterius stãs rogat. Ei leo blandè respondens ait, Vulpes filia, cur non intro ingrederis ad me? Ei uulpes non illepide ait, quoniam here mi, animalium ingredientium perplura equidem ue stigia cerno, sed egredientium uestigia nulla.

☞ Fabula significat quod homo prudens, quia pericula eminentia prouidet, illa facile deuitat.

DE LEONE ET TAVRO.

LEo ingentem taurum per insidias sequens, cum prope accessit, eum uocauit ad cœnam, inquiens, amice, ouem occidi, hodie mecum, si placet, cœnabis. Taurus leoni morem gerens, ut discubuerunt, cũ multos lebetes, nec non magnos & plures obeliscos paratos conspiceret, & ouem ibi nullam adesse, è uestigio abijt, quem leo abeuntem perspiciens, cur abiret rogauit. Ei taurus haud inurbane respõdit, non de nihilo equidem abeo, cum instrumenta non ad ouem, sed ad taurum coquendum uideam esse parata.

☞ Fabula significat, quod homines prudentes minime latent improborum artes.

DE LEONE ASINO ET VVLPE.

Leo

LEo, asinus et uulpes cõflata inter se societate, uenatum exeunt, cum multam prædam cœpissent, leo asino mandat, ut prædam diuidat. Asinus cũ eam in tres partes æquales esset partitus, optionem capiendi socijs dedit, quam partitionem leo indignè ferens ac dentibus frendens, à diuisione deposuit eum, mandauitq; uulpi, ut prædam ipsa partiretur. At uulpes illas tres partes in unũ colligens, ac prædæ nihil sibi seorsum relinquens, leoni omnia tradidit. Tunc leo uulpi ait, quis te partiri edocuit? inquit ex tempore uulpes, asini periculũ id me facere instruxit. ☞ Fabula significat, quod aliorum pericula, homines faciunt cautiores.

DE LEONE CVIVSDAM RVstici filiam amante.

LEo cuiusdam rustici filiam amabat, illam cum habere cuperet, patrem uirginis rogauit, ut sibi nubere ipsam assentiret. Ei rusticus ait, nullo pacto se assensurum, quod filia bestiæ nubat. Cum illum leo torue aspiceret, ac dentibus frenderet, Rusticus mutato consilio ait, se cupere ei filiam nubere, modo dentes, et ungulas prius cædat euellatq;, quoniam uirgo illis rebus lõgè terreatur. Leo id postquã præ nimio amore fecit, rusticum adiens, filiam sibi dari postulat. At rusticus leonem cum ungulis & dentibus perspicit inertem, arrepto fuste ipsum frequens pulsando persequitur. ☞ Fabula significat, quod qui inimicis se cõmittit, de facili perit.

De Leena

DE LEENA ET VVLPE.

LEena cum à uulpe sæpius exprobraretur, quod quolibet partu, unũ duntaxat pareret catulum, ait, Vnum sane, at pol leonem.

☞ Fabula significat, quod pulchritudo, haud inopia rerum, sed in uirtute consistit.

DE LVPO ET GRVE.

LVpus in gutture osse retento, cum longe cruciaretur, grui precium obtulit, si illud è gutture extraheret. Grus rostro cum os è gutture extraxit precium sibi promissum expostulat. Ei lupus subridens, simulq; acuẽs dẽtes, ait, satis precij tibi esse debet, quod ex lupi ore caput sine læsione eduxeris. ☞ Fabula significat, quod apud improbos gratitudo nõ parua habetur, si pro obsequio quis detrimentum non recipit.

DE LVPO ET AGNO.

LVpus cum agnum inuenisset errantem, eum non cœpit fortissima manu, sed causam quæsiuit, qua iure uel iniuria eũ comederet, igitur agno uerba huiusmodi fecit. Tu mihi abundè iam diu intulisti iniurias. Agnus gemendo ait, quo modo id fieri potuit, cũ nunquam prius uenerim ad lucem. Lupus denuo ait, agrũ mihi pascendo deuastasti. Agnus inquit ei, cũ dentibus etiã non caream, id facere nequiui. Lupus rursum ait, ex meo quoq; fonte bibisti. Ei inquit agnus, quo pacto id fieri potuit, cũ aquã ex ætate nondũ biberim, sed lac matris

cibus

cibus & potus adhuc mihi sit. Lupus demum ira cõcitus ait, licet tua soluere nequeam argumenta, cœnare tamen opipare intendo, agnumq; accepit ac illum manducauit. ☞ Fabula significat, quod apud improbos ratio & ueritas locum haud habent.

DE DVOBVS GALLIS intra se certantibus.

DVo galli intra se ruri certabant. Qui gallinarũ prior dux erat, cum ab altero superatus esset, præ uerecundia se abscondit, alter uero uictoria elatus, domus tectum statim superuolans, uehementi alarum plausu cantuq; significat se riualem suum pugnando superasse, et de aduersario ferre trophæum, dum hæc & huiusmodi iactabũdus uoce crocizat, ecce aquila cibi indaga, ex alto deuolans, gallum unguibus rapit, ac pullis suis in alimoniam contulit. Quamobrem qui uictus fuerat gallus prospiciens, ceu ex hoste triumphans, in publicum uenit, ac solis gallinis liberè potitur. ☞ Fabula significat, quod qui prosperis nimium fidit, in aduersa sæpius præceps incidit.

DE VATE QVODAM.

FOro urbis medio quidam uates, cuius sortem aperiebat futuram, quamobrem magna hominum frequẽtia stipatus, dum uni aut alteri suam aperit sortem, et nunciatur, res suas furtim domo esse ablatas. Quo audito, domum curriculo dum abijt, quidam ei obuiam factus, ridicule ait. Cur alios quid esset futurum mone-

monebas, qui tuæ sortis nescius fuisti?

☞ Fabula significat, quòd homines nequam corrigũt alios, & sua crimina scire se negligunt.

DE FORMICA ET COLVMBA.

FOrmica sitiens in fontem descendit, ubi dum bibere uult, in aquam cecidit, Columba quædam arborem fonti eminentem superſedens, cum formicam aquis obrui conſpiceret, ramulũ ex arbore roſtro continuo frangit, ac ſine mora deiſcit in fontem, ad quẽ formica ſe applicans, ex aquis in tutum ſe recepit. Oliter auceps quidam aduenit, & ut columbam uenetur, calamos erigit. Formica id percipiens, pedem alterum momordit aucupi, eo dolore auceps concitus, calamos demittit, quorum ſtrepitu columba territa, ex arbore aufugiens, uitæ periculum euaſit.

☞ Fabula ſignificat, cum bruta in beneficos grata ſint, magis eſſe debent, qui participes ſunt rationis.

DE VITVLO ET CERVA.

VItulus ceruæ aliquando ait, cum magnitudine ſis maior canibus, & pedum celeritate curſu uelocior, & ad pugnam longè cornibus munitior, cuius rei gratia mater tãtopere canes reformidas? Ei cerua inquit, ſurridens, Quoniam fili, licet, quæ dicis, omnia poſſideam, canum latratum ferre nõ poſſum, ſed præ timore fugam ſtatim arripio.

Fabula

☞ Fabula significat, quod q̃ natura timidi sunt, apud eos, ut audeant, nulla uidet hortatio.

DE APE ET IOVE.

APes quæ ceræ mater existit, quondam accedens, ut Diis sacra faceret, Ioui donũ obtulit mellis. Qua oblatione Iuppiter lætus, iussit sibi concedi quicquid ipsa precaretur. Apes igitur rogans, ait, Illustrissimè Deus deorum, ancillæ tuæ concedere uelis, ut quicunq; ad alueare pro rapiendo melle accesserit, is simul ac pupugero eum, continuo moriatur. Qua rogatione Iuppiter diu ambiguus, quoniam genus mortalium longe amabat, demum api ait, Satis sit tibi, quod quicunq; aluearia pro rapiendo melle accesserit, si eum pupugeris, & in pactura stimulum dimiseris, continuo ipsa moriaris, tibiq; uita sit ipse stimulus.

☞ Fabula significat, quod inimicis quãdoq; mala precamur, quæ in nos sæpius uertuntur.

DE MVSCA.

MVsca, quæ in ollam carnium decidérat, cum se in brodio suffocari sensit, secum ipsa ait, Ecce tantum bibi, tantum comedi, tantum me laui, quod iure satura mori possum.

☞ Fabula significat, quod prudentis est id potenti animo ferre, quod uitari minime potest.

DE

DE ADOLESCENTE QVODAM & hirundine.

ADolescens luxuriosus, cũ bona patris consumpsisset, solaq; uestis remansisset, uisa ante tempus hirundine, æstatem iam adesse existimans, ipsam quoq; uendidit uestem. Sed hieme denuo orta, cũ immenso cruciaretur frigore, uisa rursum hirũdine, quæ & ipsa frigore obibat, ait, O pessima auis, quæ me & te pariter perdidisti.

☞ Fabula significat, quod quæ suo tempore nõ fiunt ea diu stare nequeunt.

DE AEGROTO ET MEDICO.

AEger à medico rogatus, quo pacto se habuisset, plusquam esset opus secq; sudasse respondit. Id bonum fuisse, medicus ait. Secundo rogatus ab eodem, quomodo se haberet, inquit ægrotus, uehementi frigore fuisse comprehensum. Id ad salutem fore medicus quoq; ait. Tertio ab eodem rogatus, quo pacto se habuisset, inquit ægrotus, cum difficultate digerere potuisse. Rursus medicus ait, id ad salutem optimum fuisse. Deinde ex domesticis cum quidam ægrotum interrogaret, quomodo ualeret. Illi æger ait. Signa ad salutem, ut medicus ait, perplura & optima sunt, illis tamen dispereo signis.

☞ Fabula significat, quod qui ad uoluptatem loquuntur, illis aures præstare quis non debet.

DE LIGNATORE QVODAM.

Lignator

Lignator quidã dum iuxta flumen Deo Mercurio dicatum ligna cæderet, securis casu decidit in flumen. Multo igitur mœrore cõpræhensus, iuxta fluminis ripam gemens consedebat. Mercurius misericordia motus, lignario apparuit, suiq; fletus causam rogauit, quã simul ac didicit, securim auream deferens, utrum, quam perdiderat, illa esset rogauit, ac eam pauper suam esse negauit, Secundo Mercurius alteram detulit argenteam, quam cum pauper ille suam quoq; esse denegaret. Postremo Mercurius ligneam sustulit, illam suam esse cum pauper assentiret, Mercurius cognoscens illum esse hominem uerum iustumq;, omnes sibi dono dedit. Accedens igitur ad socios lignarius, quod sibi acciderat aperit. Vnus ex socijs id experiri uolens, cum ad flumen acceßißet, securim in aquam deijcit, deinde flens in ripa cõsedit, cuius Mercurius fletus causã doctus securim aureã afferẽs, si quã perdiderat, illa esset rogauit, quã cũ suã esse assereret, Mercurius cognita eius impudẽtia ac mẽdacio, nec aureã, nec suã quoq; tradidit.

☞ Fabula significat, quod quanto Deus propitior est probis, eo improbis existit infestior.

DE ASINO ET IOVE.

Asinus olitori cuidam seruiens, cum multum comederet, & parum laboraret, Iouem exorauit, ut alium dominum sibi mutaret. Itaq; Iuppiter mandat ut figulo ueneat, apud quem asinus cũ labora-

ret in deportando lutum, lateres, tegulas, & huiusmodi. Secundo Iouem precatur, ut alio deseruiat domino, Iuppiter iterum mandat, ut coriario uenundetur, Cui asinus multo cum labore, & pauco cibo seruiens, heu me miserum cum gemitu ait, qui dominos omittens meliores, ad deteriorem perueni, apud quem, ut uideo, corium meum etiam post mortem cruciabitur.

☞ Fabula significat, quod priores dominos tunc serui desiderant, cum deteriores experiuntur.

DE LEPORIBVS ET RANIS

LEpores in unum simul conuenêrunt, ubi cum de miseria ipsorum innata dolerent, gemerentue, quod uita eis, quam cæteris animalibus data esset miserior, quoniam homines, aquilæ, & canes, ad mortem eos usq; persequerentur, decernunt, melius sibi fore semel mori, quàm in uita tam misera diutius permanere. Hoc certo consilio, ut se in stagnũ præcipitent, Dum ocyus tendunt, ranæ quæ super stagni ripa astabant, ut strepitum audiunt, in stagnum desiliunt, seq; aquis submergunt. Quam rem qui lepus præibat cum conspicatur, reliquis ait, state, nam nobis sententia mutanda est, Quippe ut liquido uidetis, animalia quàm nos magis timida reperiuntur.

☞ Fabula significat, quòd cum miser miseriorem aspicit, suam æquius miseriam fert.

DE ASINO ET EQVO.

Asinus

Asinus cum equum alimonia & otio, diligenti cura abundare prospiceret, eum longe beatiorem esse commendabat, seq; nimium infœlicem dicebat. Qui cum multum laboraret, & ad saturitatem de paleis haud haberet. At cum tempus belli aduenit, miles armatus equum ascendit, & cum medios decurrit in hostes, equus mucrone percussus, cadit humi prostratus. Quem asinus prospiciens, ingemuit, ciusq; misertus, sui animi sententiam mutauit. ☞ Fabula significat, quod cum paupertate, quæ mater quietis, quis conuenire debet, potius quàm locupletioribus inuidere.

DE ASINO ET LVPO.

Asinus quidam pede altero sentem calcauit, claudusq; factus, cum lupum ad se uenientem conspiceret, nec fugere posset, miserabili uoce inquit. Heus lupe demorior equidem è dolore, sed ex quo opus est ut tibi et coruis futurus sum cibus, obsecro quatenus tua benignitate sentem è pede uelis extrahere, ut munere tuo, extremum sine dolore obeam diem. Dum sentem dētibus lupus euellit, asinus eum calce percussit. Lupus deinde naso, fronte, ac dentibus perfractis, heu me miserum exclamat, iure hoc patior, deplorando reiterat, qui cum essem coquus, medicus esse uolui. ☞ Fabula significat, quod quam quisq; norit, ea se exerceat arte.

DE MVLIERE ET GALLINA

MVlier quædam gallinam habebat, quæ aurea continua oua pariebat, putans igitur totam intus auream esse, illam occidit. Sed cum alijs gallinis esse similem reperit, ubi diuitem fore se putauit, quem primo quæstum habebat, eum plus habendi cupiditate amisit.

☞ Fabula significat, quod plus habendi cupiditate id sæpe perdimus quod habemus in manibus lucrum.

DE RANA ET VVLPE.

RAna palude existens, cæteris animalibus clamando, cum profiteretur medicam se esse, pharmacorumq; peritam, ei uulpes uenustissimè ait. Qui alios curaueris, cum claudicantē curare te nescias?

☞ Fabula significat, quod alios docere quis non potest, id quod haud didicerit.

DE SERPENTE ET AGRICOLA.

SErpens ante agricolæ cuiusdam domū latebras habens, cū ab agricolæ filio esset percussus, tam acriter ipsum momordit, q; morsu ex illo puer repente obijt. Hac re cognita, magnus inter parentes gemitus oritur. Tunc pater mœrore concitus accepta securi, serpentē ut occideret persequitur, uibrāsq; securim, ut serpentem percuteret, extremum eius caudæ cæcidit, deinde uolens pacem cū serpente conficere, acceptis farina, aqua, sale, & melle, ad reconciliandā inter se amicitiam uocat serpentē. Ei serpens sub petra latens, sibilando

lando ait, Frustra laboras bone uir, nam inter nos amicitia fore non potest. Quippe dum me sine cauda aspexero, & tu tui filij sepulchrum, quieti animo esse nequibimus.

☞ Fabula significat, quod dum iniuriam recens uel maxime extat memoria, odia tolli minime queunt.

DE GALLINA ET VVLPE.

VVlpes gallinarum tugurium ingressa, cum gallinam nido ægrotantem aspexisset, eam rogauit quomodo ualeret, cui gallina promte respõdit, meliusculè me haberem, si hinc abires soror.

☞ Fabula significat, quod inimicorum præsentia nimium est molesta.

DE VIATORE.

VIator quidam cum multam uiam uiasset, uotum Mercurio uouit, quod si quid reperiret, eius rei medium sibi offerret. Forte igitur adinuenit peram amigdalis dactyliſq; refertam, & cum putaret id esse argentum, peram capiens, amigdalarumq; nucleos & carnes dactylorum ipse comedit, Deinde templum Mercurij ingressus, atq; arã manibus tenens, uerbis ridiculis inquit ad eum. Votum Mercuri nunc persoluo tibi. Nam quas equidem res adinueni, earum tibi offero medium, ossa scilicet dactylorum ac testas amigdalorum. ☞ Fabula significat, quod homines auaritia Deorum efficit contemptores.

DE LEONE ET HOMINE.

LEo et homo cum semel simul uiam uiarent, ac inter uiandum se quisq; uerbis commendaret, ecce lapideæ occurrunt columnæ, in quibus erat incisum, quod homo suffocabat leonem. Quam sculpturam homo leoni ostendens, ait, hic uidere licet, quanto homines leonibus ac feris omnibus præstãtiores sunt, ac robustiores. Ei leo promptè respondens inquit, si apud leones essent ceu apud homines, qui sculpere scirent, plures à leonibus homines, quàm ab hominibus leones suffocari sculptos uideres.

☞ Fabula significat, quod homines iactabundi fingunt se fecisse, quæ facere nunquam tentarunt.

DE VVLPE QVADAM.

VVlpes cum racemos uuarum plenos iam ac matureſcentes prospiceret, cupida de illis manducare, omnẽ uiam machinata est, qua illos cõprehendere posset. Sed cum omnem uiam frustra tentasset, nec desiderio suo satisfacere quiuisset, mœstitiã uertens in gaudium, ait. Racemi illi nimium adhuc sunt acerbi.

☞ Fabula significat, quod prudentis est fingere se ea nolle, quæ consequi non posse cognoscit.

DE PVERO ET SCORPIONE.

PVer quidam ruri uenabat locustas, & cum scorpionem capere uellet, scorpio eius simplicitate cognita, ait ei, Heus puer, dege in pace, ac manum abstine, si non uis totus perire.

Fabula

☞ Fabula significat, quod qui ad utramq; partem cogitat, is quæ sequi & quæ uitare debeat, probe tenet.

DE VENATORE ET PERDICE.

VEnator quidam cum quam cœperat perdicem occidere uellet, perdix gemens huiusmodi uerba fecit ad eum. Heus perdicum auceps, si me missam feceris, ac uita donaueris, alias perplures conducam tibi perdices. Ei auceps appositè respõdit, Nũc eo magis occidi dignã iudico, quod amicos per insidias perdere polliceris.

☞ Fabula significat, quod qui sibi charos perdere dolo quærit, is præceps in pericula incidit.

DE LEPORE ET TESTVDINE.

TEstudo cum eius pedes lepus derideret, subridens inquit ad eum, si periculum in cursu feceris, q̃ quàm tu uelocior sim, liquido cognosces. Cui lepus ait, tè profecto fugit, quid mei ualeant pedes, sed iudicem eligamus, qui cursum & terminum nobis diffiniat. Igitur eligunt uulpem brutorum omniũ sagaciß imam, quæ ut locũ & cursus terminũ constituit, testudo omni segnicie ac negligẽtia semota, iter arripiens haud quieuit, donec ad terminũ peruenit. Lepus uero pedibus fidens ubi paululũ quieuit, somno excitatus, quantũ pedes ualuerũt, ad terminũ cucurrit, ibiq; cũ testudinẽ q̃escentẽ reperit, se cũ rubore fatetur à testudine supatũ.

☞ Fabula significat, q̃ studio & diligentia, non cor-

poris uiribus, res uel maximè conficiuntur.

DE SALICE ET SECVRI.

SEcuris cum salicè cæderet, ex ea ipsa cuneos fecit, quibus salicem facilius scinderet. Quam rem præsentiens salix, gemens eiulansq; ait. Non tantum de securi quæror, quæ hominum manibus me scindit, quantum de cuneis, qui fiunt ex corpore meo.

☞ Fabula significat, quod in aduersis, non ueri amici infestiores amicis, quam inimici sæpius redduntur.

DE PVERO QVODAM FVRE.

PVer quidam è ludo literario librum socio clam auferens, suæ matri tradidit illum, quem mater cum libenter accepisset, nec filium castigasset, rursus puer alij uestem clam abstulit, atq; matri quoq; detulit, quam dum mater etiam libenter accepisset, puer castigatione carens, cum plura in diem ac maiora crescentibus annis furaretur, demum publice captus, ceu furti reus, per quæstores publice damnatus est mortis. Sed cum ad locum iustitiæ duceretur, eumq; mater gemebunda sequeretur, impetrata uenia ut matri ad aurem unum loqui uerbum ualeret, ad eam conuersus, atquè os auri matris adhærens, uti quippiam secreto dicturus, aurem dentibus sibi abscidit. Mater uero præ dolore exclamans, mala sibi imprecatur. Tunc qui eum ducebāt, cum supra modum criminarētur, non solum furti, sed quod iam impius fuerit in matrem. Ille absq; rubore inquit ad

quit ad eos. Nemini uestrum sit mirum quod aurem matris dentibus abscidi. Ipsa enim huius meæ perditionis autor & causa est. Quippe si me castigasset, cum ei librum detuli, quem socio è scholis primum clam abstuli, omissis præ timore uerberum furtis, ad hoc in præsentia genus turpissimæ mortis non peruenissem.

☞ Fabula significat, quod qui in delinquendo ab initio non castigatur, facinorosior in diem efficitur.

DE PASTORE ET MARI.

PAstor quidam iuxta littus maris pecudes pascens, cum mare ipsum semel placidum aspiceret, nauigandi studio captus, oues pro dactylis commutauit, quibus naui impositis, cum altum iam nauigaret, & tempestate sine spe salutis fluctuaret, quæ in naui sunt, ea omnia proiecit, atq; in portum uix se recepit. Denuo cum oues pasceret, ac rursus mare tam tranquillum uideret, suo consocio ipsam maris tranquillitatem commendanti, ridiculè ait, mare iterum dactylos cupit.

☞ Fabula significat, quod usus & peritia nos reddũt in periculis cautiores. ☞

DE PVNICA ET MALO ARBORIBVS.

PVnica & malus arbores, de pulchritudine contẽdebant, cum diu inter se uarijs & acerbis contentionibus certassent, rubus ex proximo sæpe huiusmodi contentiones accipiens, accessit ad eas, atq; inquit. Satis iam satis certatũ inter uos est, quiescite admodum

& contentionibus finem imponite. ☞ Fabula significat, quod minores maiorum lites sepenumero componunt.

DE TALPA ET MATRE.

TAlpa cæcum natura animal est. Hæc aliquando matri ait. Ingentem sentio odorem, paulo post rursum ait, excelsam aspicio fornacem. Tertio item ait, malleorum sonitus audio fabriles. Ei mater comiter ait, Heus filia, tu uti percipio, non solum oculis, sed naso & auribus orba existis.

☞ Fabula significat, quod homines iactabundi, cum magna profitentur, tunc uel maximè in minimis redarguuntur.

DE VESPIS PERDICIBVS & agricola.

VEspæ semel & perdices siti concitæ, cum simul conuenissent, ad rusticum quendam tendunt, potum ab eo petentes, atq; pollicentur, quod sibi pro aqua largas referent gratias. Quippe perdices uineam sibi eo fodere promittunt, quod plenos uites producent racemos. Vespæ uero, se uineam circuiendo custodire, ac fures inde amouere largè efferunt. Quibus agricola inquit, duos habeo boues, qui cum nihil promittant, candè hanc operam nihil minus præstant. Itaq; satius est mihi illis, quàm uobis, aquam exhibere.

☞ Fabula significat, non esse illis subueniendum, qui nauci & inutiles sunt.

De

DE IOVE.

CVm Iuppiter nuptias celebraret, cuncta animalia sibi munera obtulerunt, quæq; pro uiribus suis, uerum enim serpens rosam legit, illamq; ore tenens Ioui obtulit. At Iuppiter ut eum aspexit, palam inquit, ab omnibus dona libenter equidem accipio, uerum à serpente id haudquaquam facio.

☞ Fabula significat, improborum munera, non esse sine dolis, quibus prudens sibi persuadere debet.

DE SIMIA.

SImia duos catulos parere fertur, quorum ad unum duntaxat afficitur, & ex affectu illum diligentißi mè nutrit, Alterum uero odit negligitq;. Contigit autem quod qui in delicijs habebatur, à simia in somnis fuit suffocatus, quamobrem qui neglectus erat ad perfectam usq; ætatem matris delicijs fuit educatus.

☞ Fabula significat, quod hominum prudentiam fortuna proculdubio superat.

DE PVLICE.

PVlex cum quendam morsu aliquando stimulasset, captusq; rogaretur, quis nam esset, qui membra sibi depasceret, ait, se ex eo animaliũ genere esse quibus à natura datum esset, ut eo pacto uitam uiuant, nec cum occidere uelit, cum multũ mali facere ipse sibi nequeat. At homo ille surridens inquit ad eum, eo magis meis necaberis manibus, quoniã nec multum, nec parum

rum abs re quempiam lædere licet.

☞ Fabula significat, quod malorum, licet parum, uel multum delinquant, misereri haud oportet.

DE PVLICE ET HOMINE.

PVlex suo solito more saltans, super hominis pede resedit, illumq; morsu acriter pupugit. Qua punctione homo ille grauiter concitus, pulicem cœpit ac unguibus obtundere uoluit. Sed pulex manibus exiliens mortem uitauit. Tum homo exclamans ait, O Hercules malorum extinctor, ecquid mihi in hunc opprimendum præsens non fuisti?

☞ Fabula significat, quod nõ in minimis, sed in magnis arduisq; rebus à Dijs auxilium quis implorare debet.

DE FORMICIS ET CICADA.

HYemis erat medium, cum formicæ sparsum triticum apricabant. Quod cicada aspiciens, cum inedia conficeretur, accessit ad eas, ac triticum pro alimonia ut sibi concederent, orauit. Et cum formicæ eam rogarent, quid nam æstate fecerit, num segnis & ociosa eo tempore steterit. Illis cicada ait, neq; segnis aut ociosa steti, sed cantu cecini, quo laborem uiæ uiantibus leuabam. Qua re audita, formicæ subridentes inquiunt. Si æstate cecinisti, ut uiantes delectares, nunc salta, ne frigore conficiaris.

☞ Fabula significat, q, qui, quæ faciẽda sunt, suo tẽpore non facit, is in angustias quando non putat incidit.

DE

DE VIRO ET VXORIBVS.

TEmpus erat ueris, quo quidam in delitijs educatus, cum nec iuuenis, nec senex esset (semicanus enim erat capillos) duas simul duxit uxores, unã quidem natu grandem, alteram uero iuniorem. Cum omnes eandem habitarent domum, uxor anus ut uirum in amorẽ suum totum pelliceret, quotidie uiro caput pertractans, nigros sibi euellebat capillos. Pari studio iunior ut ab anus consuetudine illum amoueret, albos euellit capillos. Postremo ita illum depilarunt, quod caluum atq; ridiculum non sine summo opprobrio uirum reddiderunt.

☞ Fabula significat, quod nulla melior salus senibus existit, quàm fœminis carere, & maximè iunioribus, nisi penitus obrui se uelint.

FABVLARVM AESOPI
FINIS.

GVILIEL

MVS CANONICVS DIVI
Aurelij Augustini Florentio suo
illustri, Baroni Iselsteino.
S. D.

Fabulas

Fabulæ Æsopi



ABVLAS AESOPI cum exoratione ligata in solutam uertissem, tibi florentissime Florenti dicari placuit, quã enim, sis amans literarũ, ex meo Antonio uiro literatissimo facilè intelligo. Nam eum tu quidem, quód eruditum scires, acciuisti, & is tui amantissimus est, cum ob alia quædam, tum ob amorem tuum erga literatos. Neq; illud præterire debeo, me quoq; à te uehementer amari, & te commendãte magistro Antonio, succensum desiderio nostri. Apprime sanè dicere solet, qui genere sit illustris, cum esse amicum & familiarem literarum, quæ ut cætera commoda earum sileam, uel solæ adeo faciunt immortalem. Erit autem harum fabularum lectio tibi, ut opinor, utilis, quippe ubi multa ad bene uiuendum apposita inuenies, grata certè earum lectio, & nõ potest non esse iucunda. Hactenus autem eas illis, qui alias complures scripserũt, fuisse neglectas satis miror, nec equidem tamen scripturus fuissem, ni & Titus Liuius harum in historia meminisset, & Flaccum nostrũ in epistolis ipsum uiderem, & Quintilianum institutionum libris utendum suadere cernerem. Sed satis iam exordij. Id te admonitum uelim, ne sis inscius, animantes, quæ iam mutæ sunt, olim fuisse loquaces. Vale, & me, ut facis, ama.

Petri

PETRI AEGIDII ANTVERpiani Endecasyllabon, ad Lectorem.

Qvisquis noscere fabulas iocosas
Aesopi cupis, hunc nouum libellum.
Limatum, nitidum, eruditulumq;
Vili tibi compara moneta.
Quo nec tersior est, uenustiorq;
Nec iucundior est, facetiorue,
Seu purum inspicias stilum latinum,
Seu tu bestiolas legas loquentes.
Quin & sensibus fatens amœnis.
Vt uita instituenda, cuiq; monstrat,
Hunc nec barbarus orezoilæo
Pinset, deprimet, atq; lancinabit.
Hunc uel religiosuli probabunt.
Qui fracti piceo caput cucullo
Ipsis sunt Cynicis scueriors.
Nullus quippe doce os amores.
Vel (quæ lædere testulam iuuentæ
Possent) illecebras licentiores.
Sed quid plura moror? libellus iste
Prorsus nobilis, elegans, latinus,
Horarum est simul omnium libellus.

LIPSIÆ
EX OFFICINA TIPOGRAphica Nicolai Fabri.



